



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica

Complectens Physicam, siue Scientiam de Corpore naturali

Lynch, Richard

Lvgdvni, 1654

Tractatvs IX. De toto resultante ex compositione essentiali partium
corporis naturalis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95236](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95236)

etiam rei est : indiget ergo alia quarta vnione : & sic vel ibitur in infinitum , vel sistere erit in aliqua vnione, quæ per seipsam sine alia vniatur; in qua quidem tota vis contrarij infringitur argumenti. Ad quod absolutè respondeo, rem non vniri realiter modo per aliam vnionem, sed per ipsum modum. Quod autem relatio realis propterea indistincta sit à suo termino, non est absurdum : quia relatio realis non in eo differt à relatione rationis, quod altera à termino realiter, altera solum ratione distinguatur, sed in hoc quod vna referat inuicem extrema realiter distincta; alia verò referre non habeat, nisi extrema tantum ratione distincta.

62 Demum argui potest pro contraria sententiâ, in hunc modum. Verbum vnitur intrinsecè humanitati : non autem per vnionem creatam, & modalem se tenentem ex parte humanitatis eamque Verbo intrinsecè vniētē; ergo per vnionē increatam se habentem ex parte Verbi, videlicet per formalitatē aliquam ipsius Verbi cum eo realiter indentificatam, & virtualiter tantum ab eo distinctam, eique quoad entitatē perfectionēque ab æterno inexistētem, quoad denominationem vero vniti, siue vnientis, in tempore ei aduenientem : iam igitur vnio hypostatica est realiter multiplex; altera scilicet creata, & altera increata: quidni ergo quævis alia vnio eandem habeat à fortiori multipliciter realem. Antecedens argumenti, quoad primam eius partem, est perspicuum. Quoad alteram suadet, quia aliàs Verbum intrinsecè aliter se haberet, quam antea, ac proinde intrinsecè mutaretur.

63 Sed in primis quod attinet ad sententiam constituentem vel omnem, vel aliquam vnionem hypostaticam in formalitate Verbo intrinsecè, eique identificata, sanè eam docet esse improbabilem, & contra omnes vsque ad sua tempora Theologos P. Suarez tom. 1. in 3. p. disp. 8. sect. 4. §. Addunt aliqui. Rursus, si, quod aliqui Recentiores putant, Verbum vnitur humanitati per formalitatem aliquam ipsius Verbi, sanè ea formalitas, e conuerso vniet humanitatem Verbo, nec alterius vnionis creatæ vlla necessitas, aut vtilitas erit. Deinde probabilius est, per vnum, eundemque modum creatum vniri intrinsecè, tum humanitatem Verbo, tum etiam Verbum humanitati. Ita P. Bernal. disp. 11. de incarnat. sect. 3. n. 49. Hurtadus disp. 21. de incarnat. sect. 2. subf. 2. §. 46. & (si quosdam Recentiores apud Hurtadum citata sect. 2. subf. 1. §. 39. excipias) cæteri omnes Theologi. Nec verò ob id mutatur intrinsecè Verbum, aut aliter se habet.

64 Ratio est, quia ad mutationem Verbi satis non est, habere aliquid intrinsecè, quo antea carebat: alioqui, cum in tempore incæperit esse intrinsecè homo, hoc ipso mutabitur: & sic absque mutatione, & imperfectione Verbi repugnabit mysterium incarnationis: quo quid stultitius, ac fidei, & rationi magis oppositum? Quocirca, vt mutetur Verbum, requiritur, vt aliquid intrinsecè habeat, quod antea in ipso nec formaliter, nec æquialenter extiterit: quidquid autem perfectionis est in vnione creata, & modali in tempore Verbum intrinsecè afficiente, totum id præexistit in Verbo sin minus formaliter, saltem æquialenter; quia nimirum perfectio solius Verbi tanta est, quanta censetur perfectio tum Verbi, tum etiam eius vnionis simul sumptorum. Atque hæcenus dissoluta sunt argumenta contra simplicitatem realem vnionis essentialis potissimè in controuersia positam: quæ autem procedunt contra eius multipliciter virtualement, commodius dissoluentur in Metaphysica inter agendum de distinctione virtuali intrinsecè.



TRACTATVS IX.

De toto resultante ex compositione essentiali partium corporis naturalis?

CAPVT PRIMVM.

Totum substantiale, & per se resultans ex partibus essentialibus corporis naturalis ab ijs realiter adequatè distingui, verius est.



TA Scotus 8. Metaph. q. 4. & in 3. dist. 2. q. 2. & cum eo Antonius Andreas, Lychetus, Mayron, ac cæteri communiter alleclæ. Ita etiam ex Thomistis Caietanus 3. p. q. 6. art. 5. ad primum, Capreolus in 3. dist. 2. art. 1. Ferrara 4. contra gentes cap. 81. Iauellus, Heruæus, Socinas & alij. In eadem sententia sunt Aui-cenna lib. 3. Metaphysic. cap. 4. Cimaræ Theorem, 75. neque non ex nostris Conimbr. 1. phys. c. 2. q. 1. art. 3. Pereira lib. 7. c. 18. Fonseca 5. Metaph. c. 2. q. 2. sect. 2. & Metaph. c. 17. q. vnica sect. 3. Valquez 3. p. disp. 19. c. 2. & Clauius in prolegomen. Mathem. disciplinæ. Et, quod caput est, eidem opinioni fauent B. Thomas in 3. dist. 2. q. 1. art. 3. quæst. 3. ad 3. Et in 4. dist. 16. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3. ad 2. Et Aristoteles 1. phys. text. 16. & 8. met. cap. 6. text. 15. & 2. de anima circa initium, & alibi sæpè.

Missis autem pro hac sententia aliorum rationibus, quippe quibus parum fido, & quarum non paucis satisfaciā inferius in simili; potissima, qua moueor, sic habet. Suppositalitas, siue subsistentia corporis naturalis est totum illud substantiale, & per se, quod ex eius partibus essentialibus, materia scilicet, & forma resultat. Atqui suppositalitas, siue subsistentia corporis naturalis distinguitur realiter adequatè à præfatis eius partibus. Ergo & totum substantiale, ac per se, quod ex eis resultat. Minor est perspicua: nam Verbum diuinum assumpsit partes essentielles hominis v. g. nimirum materiam, & formam rationalem, qua constat, eaque assumptione homo factus est: sed non assumpsit subsistentiam, seu personalitatem, hominis: alioqui essent in Christo duæ personæ, quod est hæreticum: subsistentia igitur hominis, adeoque cuiuscumque alterius corporis naturalis ab eius partibus essentialibus simul sumptis, & vnitis omnino distinguitur.

Porro maior argumenti probatur: namque subsistentia hominis, v. g. haud consistit in negatione dependentiæ actualis, apertitudinalisque ab alio supposito, vt volunt Scotistæ: siquidem in Deo sunt tres subsistentiæ, quarum tamen nulla est conceptus negatiuus, sed potius quælibet, quid positium, & verissima, actualissimāque perfectio: qui ergo fieri potest, vt subsistentia creata in negatione consistat? Rursus subsistentia corporis naturalis haud est existentia, haud item natura cum differentiis indiuiduantibus, vt alij, alique Thomistæ existimant: etenim Verbum humanitatem tum existentem, tum etiam in atomo, vt aiūt, siue in indiuiduo sumptam assumpsit, cū interim eius non assumpsit subsistentiam, siue personalitatem.

Præterea subsistentia corporis naturalis haud est entitas aliqua incompleta vltimo complens eius partes: alioqui namque harum esset forma substantialis; & per consequens in materia esset duplex forma substantialis, & vna forma substantialis foret alterius subiectum, quæ tamen sunt absurdissima. Subsistentiam

stantiam futuram esse formam substantialem, si esset entitas incompleta liquet; siquidem generaretur dependenter à natura, in eaque reciperetur, illamque pro posteriori perficeret intrinsece, veramque compositionem per se cum illa faceret: quidni ergo esset forma? Quæ omnia cum ita sint, nihil restat in quo consistere possit substantia, nisi totum substantiale, & per se resiliens ex partibus essentialibus corporis naturalis: id ergo totum, seu compositum est substantia, ac proinde huius more à partibus suis realiter adequatè distinguitur. Et quidem non solum discursu facto, & in metaphysica latius instaurando constat, substantiam idem esse cum toto, quod agimus, verum etiam id ipsum ex professo ostenditur tract. sequenti.

5 At dices, totam quætionem de distinctione totius substantialis, & per se à partibus fieri à nobis controuersiam de solo nomine. Nihil enim à nobis conceditur in homine v.g. quam materia, forma, & vnio, ac substantia: at hæc omnia admittunt in homine, & quouis toto substantiali, qui illud à partibus suis non distinguunt: ab iis ergo, qui aliam reiciunt distinctionem, solo nomine, ac vocum usu discrepamus.

6 Respondeo, nos censere substantiam, cui rationem totius à partibus distincti attribuiamus, esse quid completum, eamque, quæ si per impossibile existeret sine partibus, esset tamen homo v.g. Aduersarij autem censent eam esse quid incompletum, & non fore hominem, si per impossibile existeret sine partibus hominis, materia, scilicet, & forma unitis: quin etià aliqui illorum putant, eam absq. vlla contradictione terminorum posse sine prædictis partibus conservari separatim: quod si conservaretur, tum haud habiturà rationem hominis. Rursus nos existimamus, substantiam non facere compositionem per se cum natura, siue partibus corporis naturalis, sed solà per accidens, ut patebit infra: aduversarij compositionem per se ex substantia, & natura adstruunt. Ex quibus manifestum videtur, non de solo nomine cum Authoribus, qui minimè distinguunt totum substantiale physicum à suis partibus nos in præsentia disputare.

7 Declaratur exemplis. Aristoteles nihil aliud agnoscit in homine, nisi corpus, & animam, & vnionem vtriusque ut aduersarij putant: Plato autem totum hoc etiam in homine admittit: ergo solū de nomine disputant vterque; dum alter ait, solam animam esse quidditatem hominis, alter verò, corpus simul, & animam unitam: Vterius qui Angelos, & animos spirituales eiusdem esse inter se speciei cum Origene docet, & ij qui Catholicæ negant talem identitatem, haud de vocabulo censunt: non alia de causa, nisi quia Catholici docent Angelos esse entia spiritualia completa, & animos entia spiritualia incompleta; contra verò hæretici Angelos, & animos ex æquo esse entia spiritualia completa, vel incompleta propugnant. Qui ergo tueor in præsentia, substantiam esse ens completum, haud de vocibus disputo cum iis, qui illam esse entitatem incompletam, aut quid simile adstruunt.

8 Præterea an Thomistæ, & Scotistæ de vocibus quætionem habent, dum hi beatitudinem in amore Dei fructu, illi verò in eius visione clara, & intuitiva eam collocant? Minimè quidem: quod ne ipsi diffirebuntur aduversarij; & tamen in eo, qui beatur nihil amplius adstruit hi, quam illi: vtrique enim videri, & amari Deum à beato, nec sine vtroque actu beatitudinis stare tuentur. Quanquam ergo non plures entitates in homine adstruam, quam hi, quibuscu in præsentia disputo, non propterea tota vtriusque disputatio censenda erit de nominum, ac vocum usu. Idem denique, ut aliis exemplis superseam, patet ex celebri inter Theologos con-

R.P. Richardi Lyncei, Philosophia Tom. II.

trouersia de constitutione diuinæ essentiae: alij namq. essentia Dei in sola intellectuione, alij in intellectuione simul, & volitione constituunt; & ita constituunt, ut vtrique Deum simul intellectuionem, & volitionem censuant, quin plura in eo prædicata, aut perfectiones ab his quam ab illis reuera concedantur. Quis tamen eos propterea logomachia inculcet? Similiter ergo in præsentia, &c.

CAPVT II.

Alia etiam nostræ, ac verioris sententia probatio.

9 **Q**ua, quamuis alios ad probandam distinctionem totius à partibus uti non videam, satis tamè firmam arbitror. Ea sic habet. Si Petrus v.g. in eius materia, forma, & vnione formaliter consisteret, Petrus esset diuersæ speciei à Paulo. Consequens est manifestè falsum, ergo &c. Sequela probatur, quia vnio Petri, & Pauli sunt diuersæ speciei: ergo si Petrus formaliter includit vnionem qua eius partes essentialiter inuicem copulantur, & Paulus eadem ratione suam, certè alteruter intrinsecè, & essentialiter aliquid includet speciei diuersum ab eo, quod est in altero similiter inclusum, ac proinde ambo diuersæ speciei erunt: siquidem, ut duo specificè differant, non oportet, ut penes omnia eorum prædicata essentialia speciei diuersa sint; (aliàs homo, & equus diuersæ speciei non essent,) sed satis est quod penes aliqua speciei differant. Porro antecedens probatur: quia ab hac, & illa vnione Petri ratio communis vnionis Petri abstrahi potest; quæ cum de pluribus, solo numero differentibus prædicetur in quid, sanè species erit: vnio etiam Pauli eadem ratione species erit: ac proinde vnio Petri, & vnio Pauli duæ species erunt: quare speciei different, sicut homo, & leo ut sic speciei differunt. Et quidem ea ratio communis vnionis Petri ad has, & illas non est genus, nec differentia, & si esset, res eodem rediret, neque proprium, aut accidens, ut manifestum est: quid ergo esse potest, nisi species, ut dictum est?

10 Huic argumento responderi potest primò, Petrum, & Paulum absolutè, & simpliciter dici posse, & debere eiusdem speciei, quia partes omnes vtriusque, nimirum materia, & forma eiusdem sunt speciei: secundò quid tamen eos esse diuersæ speciei, propterea quod constitutum aliquod minus principale, nimirum vnio non idem in vtroque sit, sed potius specificè diuersum. Sed in primis incredibile planè videtur, Deum creare non posse duos homines omnino, & adequatè eiusdè speciei: sicut de aduersariorum sententia duos Angelos omnino, & adequatè vnus speciei creare potest. Deinde iuxta hos, quibuscum disceptamus, homo absolutè, & simpliciter generatur, eo quod sola eius vnio generetur, esto materia, & forma creentur: similiter ergo homo diuersæ speciei ab alio homine absolutè, & simpliciter censendus est, eo quod sola eius vnio ab alterius vnione diuersæ speciei sit, esto vtriusque partes eiusdem speciei sint; si fortè ambo vnionem, & partes formaliter includunt.

11 Secundò ex doctrina comuni Recentiorum responderi potest, speciem esse, quæ de omnibus solo numero differentibus prædicatur in quid: vnionem autè Petri non prædicari de omnibus solo numero differentibus, sed de aliquibus, cum non prædicetur de vnione Pauli, Ignatij, &c. quæ tamen ab vnione Petri solo numero differunt, sicut tantundem, & non amplius diffident extrema per eas unita, vtròque comparata. Verum ne hæc solutio satisfaciat, quia dum vniones Pauli ab vnionibus Petri solo numero differre supponit,

- principium repetit, & conclusionem supponit, cum argumentum nostrum contendat eas specie differre.
- 12 Ad hoc: ea, quæ solo numero differunt, eorundem prædicatorum communium capacia sunt, vt cernere est in duplici candore: at vniones Petri, & vniones Pauli iisdem prædicatis communibus non subsunt, nec subesse possunt, sed potius aliqua ratio communis de illis prædicatur, quæ de his nequit prædicari. Tandem: si vnio Petri, & vnio Pauli solo numero differunt, certè vnio humana erit species de vtraque prædicabilis: vnio ergo Petri erit ratio indiuidualis: primam consequentiam dant aduersarij: secundam insinuant, & ex prima aperte sequitur: siquidem ratio indiuidualis est immediatum correlatiuum rationis specificæ: vnio autem Petri est immediatum correlatiuum vnionis humanæ: ergo si vnio humana est species, eo ipso vnio Petri erit indiuiduum: hoc autem consequens est euidenter falsum: namque indiuiduum de vno solo prædicatur, estque indiuiduum in se, iuxta aliam, aliâque eius definitionem: at hæc indiuiduo, & prædicabilitas de vno solo vnioni Petreæ vt sic neutiquam conuenit.
- 13 Tertiò Alij existimant, vnionem Petri esse quidem speciem; inde tamen minimè inferri Petrum, & Paulum vltatenus specie differre: quin potius ita eos conuenire posse, vt nusquam dari queat maior conuenientia specifica: quia, inquiunt, homo huius speciei est præter corpus, & animam rationalem vnio huius, aut illius speciei. Quod tribus exemplis confirmant. Primum desumitur ab ente artificiali: nam hæc numero cathedra v. g. includit materiam lignorum, & insuper tales vbicationes cum aliarum negatione: at non includit has numero vbicationes: alioqui, quoties de loco in locum transfertur, diuersa numero cathedra euaderet: ergo has, vel illas numero vbicationes: Similiter ergo in præsentī, &c.
- 14 Alterum exemplum, quo vtuntur, Theologicum est, & in hunc modum se habet. Christus Dominus dicitur nobiscum vnioce homo, & in ratione hominis non alterius, sed eiusdem speciei, vt contra Nominales supponunt & pro explorato habent reliqui Theologi, vtque satis colligitur ex illo Pauli ad Philippen. 2. in similitudinem hominum factus: Atqui homo inuoluit in suo conceptu subsistentiam, quæ quidem in Christo, & nobis est diuersæ speciei, & dissimillima: sicut ergo homo est subsistentia huius, aut illius speciei, connotans includensque, vt homo est, materiam, & formam huius speciei determinatæ, & non alterius; ita similiter in præsentī vsu venire credendum est. Tertium Neothericorum exemplum etiam Theologicum est, & sic se habet. Pater, filius, & Spiritus-sanctus sunt vnus numero Deus: ergo hic numero Deus est hæc numero natura diuina, & hæc vel illa subsistentia numero diuersa: quippe, si hic numero Deus hanc numero subsistentiam determinatè inuolueret, tres Personæ diuinæ non essent vnus numero Deus, cum certo certius sit, eas distinctis subsistentiis gaudere, & constitui.
- 15 Contra tamen est in primis: quia eadem ratione dici posset, hominem, & equum esse eiusdem speciei, videlicet, si animal huius speciei sit materia huius speciei; & forma huius, vel illius speciei nempe humanæ, vel equinæ. Contra secundo est, quia eadem ratione sustineri posset commentum Parmenidis, qui omnia entia vnum numero esse somniatus est: sicut enim hæc numero cathedra iuxta aduersarios est hæc, aut illa aggregatio vbicationum lignorum afficiens, ita similiter fingi poterit, hanc numero sub-

stantiam esse vel Deum, vel hominem, vel Angelum, vel candorem, &c. Quo fiet nihil in rebus distingui. Contra tertio est, quia repugnat, aliquid esse omnino, & adæquatè singulare, quin omnis pars ei essentialis singularis sit, aut esse creaturam, aut substantiam similiter adæquatè, quin omnis eius pars creata, & substantialis sit. Pari ergo ratione repugnabit, aliquid esse omnino determinatum numero, aut specie, quin quæuis eius pars numero, aut specie determinata sit, nullaque indeterminate.

Ad primum exemplum aduersariorum dicendum 16 est, formam artificialem cathedræ in eius vbicationibus sitam non esse, sed esse figuram partium cathedræ certis earum vbicationibus anteriorem, illarumque radicem, vt ostenditur in metaphysica: Hæc autem numero figura de huius numero cathedræ essentia est, nec, ea translocata, variatur. Alterum aduersariorum exemplum momenti non est. Quod enim communiter dici, & credi consuevit, Christum esse hominem eiusdem speciei nobiscum, intelligendum est de sola eius natura humana, materia videlicet, & forma; quæ quidem in Christo, & reliquis hominibus sunt proculdubio eiusdem speciei: at hoc quid aduersariis prodest? Verum de hoc exemplo plura inferius. Ad tertium, quo aduersarij vtuntur, dicendum est, tres personas diuinas esse vnum numero Deum; vel quia particula, *Deus*, non supponit in ea prædicatione adæquatè pro omni eo, quod significat, sed pro sola natura diuina, quam hæc vox, *Deus*, solam exprimit: vel quia totæ tres eandem numero naturam diuinam, eandemque numero subsistentiam absolutam sibi vendicant, ac proinde idem numero constitutiuum sufficiens huius concreti, quod Deus appellatur. Maneat ergo Petrum v. g. esse hominem omnino eiusdem speciei cum Paulo, quia vterque realiter adæquatè distinguitur à suis partibus vnitis, adeoque neuter vniones diuersæ speciei ab vnionibus alterius intrinsecè, & per identitatem inuoluit.

CAPVT III.

Dua aliorum solutiones Superioris probationis nostræ, totidemque eius instantiæ reiciuntur?

17 Quarto respondent Neotherici ad superius nostrum argumentum, vniones quidem Pauli v. g. esse diuersæ speciei ab vnionibus Petreis; inde tamen non sequi, quod Petrus, & Paulus iis per identitatem constituti diuersæ sint speciei: oportet enim, inquiunt, speciem, & essentiam logicam explicari, atque constitui independentem ab indiuiduatione rei, cuius est essentia: quod si essentia Logica Petri, speciei que hominis ei conueniens inuolueret identicè vnionem ipsius Petri, & non rationem communem vnionis humanæ abstrahentem ab vnione Petreæ, & Paulinæ, haud abstraheretur essentia Logica Petri, speciei que hominis eam comprehendens ab eius indiuiduatione, vtpote quam vnio Petreæ essentialiter connotat: quare non includit id genus vnionem, sed potius vnionem humanam latissime sumptam. Proinde essentia Logica Petri, speciei que hominis ei conueniens non potest esse alia, ab essentia Logica, & specie hominis in Paulo reperta: vt enim essent alia, & alia, oporteret alteram includere intrinsecè vnionem Petreiam, & alteram similiter includere vnionem

nem Paulinam, quæ à priori specificè diffidet: cum ergo eas vniones non includant, sed rationem communem vnionis humanæ, vt dictum est, certè nulli mirum esse debet, quod vtriusque species, & essentia Logica non sit diuersa, adeoque ambo specie non differunt inuicem.

- 18 Confutatur tamen primo hæc solutio; quia omnis species partialis, constituit speciem aliquam totalem, & completam: sic omne indiuiduum parziale constituit aliquod indiuiduum totale, & completum v. g. hæc materia, aut hæc anima rationalis hunc hominem: sic, & eodem redit, haud potest intelligi existentia vlla partialis, & incompleta, nisi respectu aliquis existentie completæ. Atqui vnio Petreia est species quædã distincta ab vnione Paulina iuxta aduersarios: cum ergo non sit species totalis, & completa, vt luce clarius est, relinquatur, vt sit species partialis, & incompleta: constituit ergo aliquam speciem aliquam totalem, & completam; sed non aliam, quam hominis: ergo speciem aliquam completam hominis constituit: perperam ergo dicitur ab aduersariis, speciem completam hominis, eiusque essentiam Logicam inueniam in Petro constitui non posse per vnionem Petreiam, siue respectum aliquem ad ipsum Petrum: neque non etiam perperam, & absque fundamento ab iis dicitur, Petrum non debere esse diuersæ speciei à Paulo, tamen si vterque intrinsecè, & per identitatem includat vniones, specie diuersas: quia enim ratione vnio Petreia constituit speciem aliquam completam hominis, vnio etiam Paulina aliam speciem hominis constituit: adeoque ex illis vnionibus duæ hominis species diuersæ emergunt; quæ cum ambæ de solo vno homine dici nequeant, reliqua est, vt vna de Petro, & alia de Paulo dicatur, sicut ad horum diuersitatem specificam oportet.

- 19 Confutatur secundò eadem solutio, quia indiuiduum etiam logicum, & secundo intentionale siue prædicabile, siue subiicibile sit, explicatur in ordine ad speciem: quidni ergo & hæc, in ordine ad indiuiduum? Consequentia liquet. Antecedens suadet de indiuiduo subiicibili, cuius definitio est, illud esse, quod subiicitur speciei: necnon de indiuiduo prædicabili: nam cum profertur in mente, *Petrus est hic homo*, terminus ille, *hic homo*, est indiuiduum prædicabile: & tamen in ordine ad hominem, quem inuoluit, adeoque quodammodo ad speciem concipitur, & explicatur. Tertio, & eodem ferè recidit hæc prædicatio, *Petrus est homo*, est speciei de indiuiduo: at prædicatum haud sine ordine ad subiectum de eo dicitur. Male ergo docent aduersarij speciem Logicam, & essentiam rei completam haud debere explicari per respectum ad indiuiduum, de quo dicitur, atque hac de causa speciem hominis in Petro repertam inuoluere nequire rationem communem, & specificam vnionis ipsius Petri, sicut ad eius diuersitatem specificam à Paulo opus est.

- 20 Quartò reicitur illa eadem solutio. Namque, tamen si species Logica abstractionem omnem ab indiuiduo, & quouis respectu ad illud, postulet, propterea tamen non sequitur vnionem Petri vt sic non constituit speciem hominis diuersam à specie, in qua est Paulus. Ratio est, quia Petrus non erit in contraria sententia, quam impugnamus, indiuiduum, sed species quædam hominis abstracta ab hoc Petro, qui per identitatem inuoluit hanc numero vnionem Petreiam, & ab alio Petro inadæquatè distincto, & inuolvente aliam vnionem Petreiam numericè distinctam à priori; & sic in infinitum. Species ergo hominis constituta per vnionem Petreiam vt sic, quamuis

ratione talis constitutionis haud possit abstrahere à Petro vt sic etiam sumpto, nihilominus abstrahet ab omni indiuiduo strictè tali: vnde propter huius abstractionis necessitatem, non est negandum, quin species hominis, quæ conuenit Petro diuersa à Paulo inuoluat identicè vnionem Petri vt sic, aut in communi.

Quintò impugnatur illa etiam solutio, in hunc modum. Animal in atomo, siue in indiuiduo formam substantialem, non quamcunque, sed hanc numero, & in indiuiduo talem includit, perque eam explicatur. Rursus animal in specie, homo v. g. hanc specie formam, nempe animam rationalem, quidditatiue includit, & per eam definitur. Item animal in genere hanc etiam genere, huiusve generis formam inuoluit, & per eam essentialiter constituitur, & explicatur. Pari ergo ratione, cum animal in indiuiduo per hanc numero, siue in indiuiduo vnionem constituitur, vel iuxta aduersarios, & animal in genere per vnionem etiam in genere; consequenter etiam dici debet quod animalia specie per vnionem specie, siue per hanc specie vnionem intrinsecè constituitur, & quidditatiue definitur. Cur enim vnio substantialis, quoad triplicem constituendi modum, suo modo non æmulabitur formam? aut cur, sicut eam imitatur quoad constitutionem genericam; & indiuidualem, non etiam eam sequatur, quoad specificam? ita vt quemadmodum animal in specie id est homo hanc specie formam quidditatiue & essentialiter in se claudit, & per eam definitur, sic etiam hanc specie vnionem, videlicet Petreiam essentialiter includat, eamque per explicetur, & definiatur.

Sextò: nè inhæreamus nominibus speciei siue essentia Logica, aliud est, duo distingui, aliud illa esse rigorosè dissimilia: duo enim oua v. g. distincta inuicem, non dissimilia esse dicimus: quare indiuiduis omnibus eiusdem speciei, cuiusmodi haud dubiè sunt Petrus, & Paulus, distinctio, non dissimilitudo conuenire potest: at conueniret hæc non minus quam illa, si vnio Petreia esset diuersæ speciei ab vnione Paulina, & ambæ per identitatem alterum, alterumque constituerent: namque omnis species est verè dissimilis alteri speciei: aliàs hominem equo dissimilem negare potero: vnio ergo Petreia, & vnio Paulina dissimiles sunt; cum iuxta aduersarios sint duæ species vnionis humanæ: quando ergo Petrus intrinsecè, & per identitatem claudit vnionem Petreiam, & Paulus vnionem Paulinam, sanè alteruter habet per identitatem prædicatum aliquod, per quod alteri dissimilatur. Quidquid ergo sit, an Petrus, & Paulus ex diuersitate specifica suarum vnionum, diuersitatem etiam specificam inter se inuicem trahant, (vocis enim hæc quæstio esse potest) tamen veram vtrinque dissimilitudinem ex suarum dissimilitudine vnionum fortientur: quod tamen omnino absurdum esse constat.

Septimò sic argumentor. Quidquid sit, an Petrus, & Paulus dissimiles verè, ac proprie esse queant (fortassis enim erit, qui id contendat) cæterum solam dissimilitudinem indiuidualem inter se ad summum adipisci poterunt: quod meo iudicio manifestius est, quam vt negari queat, aut probari postulet. At iuxta aduersarios Petrus, & Paulus, habent dissimilitudinem aliquam non indiuidualem tantum, sed ea maiorem: nimirum dissimilitudinem in ratione aliqua non numerica, sed potius communi, & specifica, videlicet vnionis Petreia, & Paulina. Ergo &c.

Ad extremum sic arguo. Si nullus homo verbi gratia, præter solum Petrum, & nullus equus præter

solum Bucephalus essent possibiles, certè Petrus, & Bucephalus non differrent specie prædicabili & Logica: si qua enim differrent, maximè quoad speciem hominis, & speciem equi: tum autem homo defectu inferiorum species prædicabilis non foret; & equus eadem de causa dici non posset species prædicabilis. Nihilominus Petrus & Bucephalus tum differrent specie subiicibili, aut alia: atque si res ipsa, non verò intellectus nostri fictio, aut abstractio pensetur, profectò tam diuersi in eo essent euentu, ac modo sunt. Similiter ergo quamuis vnio Petreia cum non constituat specie Logica, & prædicabili diuersum à Paulo, propterea nimirum quod essentiam Petri ab eius indiuiduatione abstractam constituere nequeat, tamen specie, aut subiicibili, aut alia innominata alterum ab altero diuersum constituet, atque non minus, quam si ambo specie prædicabili & Logica dissiderent. Consequens autem est apertè salum.

25 Respondent iterum Recentiores, quos hæcenus hoc capite impugnauimus, vnionem Petreiam non esse speciem quandam vnionis ab vnione Paulina diuersam, adeoque ambas differre non posse specie, nec refundere diuersitatem specificam in Petrum, & Paulum. Rationem huius hanc exhibent: vt aliqua ratio communis respectu inferiorum suorum species quædam sit, oportet vt inferiora respectu illius habeant similitudinem summam, & non adæquabilem per aliam similitudinem, qua aliquod eorum conueniat cum alio non contento sub ea ratione communi, sed potius extra illam collocato: qua ratione homo est species quædam respectu Petri, & Pauli, & cæterorum hominum, quoniam hi summam in homine similitudinem habent, & nullus eorum, quantum cum reliquis conuenit in ratione hominis, tantundem potest conuenire cum aliquo alio supposito, quod sub ratione communi hominis non contineatur, equo verbi gratia, aut leone.

26 Cæterum, *homo similis Petro*, non est species quædam hominis, omnibus, & solis præter Petrum communis, licet alioqui de illis, veluti de pluribus solo numero differentibus, dicatur: quoniam scilicet homines omnes, præter Petrum, non habent summam & inæquabilem in ea ratione similitudinem, talémque cui æqualis non sit similitudo, quam fortiuntur respectu Petri, qui sub ea ratione communi non continetur nec est homo sibi metipsum similis. Etenim, vt quis reliquorum hominum præter Petrum est similis alteri in ratione hominis, & in ratione *hominis similis Petro*, cum tamen in hoc secundo non sit similis Petro, eo quod hic sibi similis non sit, ita etiam quiniis eorum, Paulus, v.g. est similis Petro in ratione hominis, & etiam in ratione hominis similis Ioanni, cum tamen in hoc secundo cum Ioanne conuenire nequeat Paulus, ne Ioannes sibi similis dicatur. Tantam ergo similitudinem habent Petrus, & Paulus, quantum habent Paulus, & Ioannes, esto hi infra rationem illam communem *hominis similis Petro*, contineantur, secus verò illi; quia nimirum vna similitudo per aliam compensatur. Propter hanc igitur causam, *homo similis Petro*, non est species quædam, nec reliqui homines sub aliqua specie continentur cui Petrus non subiiciatur.

27 Quod si hæc ratio quidquam valet; iuxta eam necesse est, vt vnio Petreia species non sit, vnioque Paulina speciei etiam ratione careat, adeoque, vt ambæ specie non differant. Etenim, tamen vniones Petri conueniant in ratione communi vnionis Petreie, & eas præter aliæ nullæ in ea ratione conueniant, tamen

hæc similitudo, & conuenientia pensatur, per hoc quod earum quælibet conueniat cum vnionibus Pauli in ratione vnionis potentis videri vnica intuitione, aut coëxistentis alteri, aut existentis in loco distanti, ab eo quem alia occupat. Possunt enim inuicem coëxistere duæ vniones adæquatæ, altera Petri, altera Pauli propria: possuntque inuicem distare; neque non vna intuitione videri. Cæterum ita ad se inuicem referri nequeunt duæ vniones Petreie, si sint adæquatæ: haud namque coëxistere possunt, haud consequenter vno intuitu conspici, haud demum inuicem distare, tamen etiam naturaliter coëxistere permittantur. Quocirca non conueniunt in ratione communi vnionis potentis alteri coëxistere, aut distare, vel vnica intuitione videri: non habent ergo inter se maiorem similitudinem inuicem sumptæ, quam quævis earum habet respectu vnionum Pauli, quæ sub ratione communi vnionis Petreie non continentur: sicut enim vniones Petreie conueniunt inuicem in ratione communi vnionis humanæ, & etiam vnionis Petreie; ita etiam vnio Petri, & vnio Pauli conueniunt in ratione communi vnionis humanæ, necnon etiam vnionis potentis alteri coëxistere, &c. & sicuti hæc posteriores non conueniunt in ratione vnionis Petreie, ita illæ priores, haud etiam conueniunt in ratione vnionis coëxistentis distantis, aut simul visibilis in sensu, quem exposuimus. Quantum ergo similitudinem habent inuicem vniones Petri in ratione communi vnionis Petreie, tantam habent similitudinem, & conuenientiam cum vnionibus Pauli, quæ sub ea ratione communi non continentur, adeoque nec ea, nec ratio communis vnionis Paulinæ species esse potest.

Hæc etiam solutio haud magno opere potest euerti. 28 Primò enim non soluit nostrum argumentum, quatenus eo probatur, vnionem Petreiam esse speciem quandam vnionis humanæ, vnionemque Paulinam, aliam vnionis humanæ speciem, sed aliud argumentum affert ad probationem contrarij. Aliud autem est, argumentum aliquod soluere, aliud, & longè diuersum, vim alterius argumenti ei opponere: Illud enim prius perinde est, ac vulnus tibi impositum sanare, aut, ne imponatur, cauere: hoc posterius idem est, ac vulnere tibi inflicto, & non sanato aliud aduersario infligere, ac vicem ei rependere. Quod autem ij quibuscum agimus, argumentum nostrum non dissoluant, in propatulo est: nam tota eius vis in eo sita est, quod ratio communis vnionis Petreie non sit genus, vt constat, nec differentia, nec proprium, nec accidens respectu huius, & illius vnionis Petri: superest ergo tantum, vt sit species: pari autem ratione vnio Paulina species erit: ambæ ergo duæ species sunt: ac proinde specie dissident. Quid autem afferunt contrarij, quod huic difficultati satisfacere videtur?

Et quidem esto non desint, qui extra quinque illa 29 prædicabilia adstruere non dubitent alia, nemo tamen non ad ea quinque reduci posse cætera omnia existimat: ea ergo ratio vnionis Petreie, cum de hac, & illa vnione Petri solo numero differentibus in quid prædicetur, in quo definitio speciei sita est, haud species erit, aut certè ad speciem reducetur: neque non etiam vnio Paulina in communi: Ambæ ergo specie different, sin minus formali, saltem æquiualentem, & reductiuam: sicuti personæ diuinæ iuxta complures non specie, aut genere formaliter, sed ad summum æquiualentem differunt: quod si vniones Petri, & Pauli adeoque hos ipsos inter se ea ratione differre, ac dissimiles esse nobis dent aduersarij, qua quidem personæ diuinæ differunt, ac dissimulantur, certè intento potiemur,

tiemur, deque alio maiori absurdo contrā aduersarios colligendo parum erimus solliciti.

30 Illo etiam nomine displicet eadem solutio: quoniam immerito supponit, eam similitudinem, quæ est inter vniones Petri proprias compescari, & æquari per eam, quæ quamuis illarum vnionibus Paulinis assimilatur. Etenim vnionem aliquam esse coexistentem alteri, ab ea distantem, aut vna intuitione visibilem, est denominatio quadatenus extrinseca, & accidentaria, adeoque similitudo in ea ratione est similitudo accidentaria; ea vero similitudo, quæ hæc, & illa vnio Petri conueniunt in ratione vnionis Petreæ est essentialis, & omnino intrinseca: huic ergo illa prior æquari, eive compensanda par esse nequit: quemadmodum, quod Æthiops in siluis nutritus quoad colorem, & aliqua alia accidentia ferè similior sit simiæ, quam infanti Europæo recens nato, haud tamen hoc arguit, accidentariam illam Æthiopis cum simia conuenientiam, & similitudinem compensare, aut æquare posse eam substantialem similitudinem, quam habet cum infante recens nostro in orbe, genito: aut quemadmodum, si omnia accidentia ligni in lapidem diuinitus congerantur, nunquam tamen fiet, vt propterea lignum lapidi accidentaliter simile tantam habeat cum eo conuenientiam, quantam cum alio ligno: scilicet, quia hæc similitudo est essentialis, illa verò accidentalis.

31 Rursus tertio: equis non videat, cum dicunt aduersarij vnionem Petreiam, & vnionem Paulinam sibi inuicem coexistere, à seve hoc distare, aut vna eas intuitione videri posse, nullam illos rationem vtrique communem assignare, sed potius rationem æquiuocam, & particularem ambas sigillatim, & distinctè complectentem: coexistentia enim, distantia, & simultanea visibilia vnionum pluralitatem, ac diuersitatem expresse inuoluit: vbi ergo illa ratio communis, & abstracta? cuius similitudo compensat, & adæquat eam, quæ vniones omnes Petri in ratione communi vnionis Petreæ conueniunt.

32 Præterea quartò, vt ea ratio, quam aduersarij cōfingunt, communis sit, atque etiam non accidentaria, & extrinseca, sed essentialis, & omnino intrinseca: profecto ea non species, sed genus erit: nam prædicatur de vnione Petreia, & vnione Paulina, atque adeo de pluribus speciebus in quid: genus igitur erit, & similitudo ab ea desumpta non nisi generica: similitudo autem, quæ est inter vniones Petreas, vel aduersariorum confessione, est specifica. Porro autem similitudinem genericam compensare, aut æquare nequit similitudinem specificam: aliàs homo, & equus tam similes erunt, quam duo homines, eo quod, sicut hi in ratione specifica hominis, ita etiam illi in ratione generica animalis conueniant. Qui ergo fieri potest, vt similitudo inter vnionem Petri, & vnionem Pauli, quæ generica est, vt dictum manet, eam æquare possit, quæ est inter vniones Petreas maior, quam generica, ac re vera specifica.

33 Item quintò: vt vnio Petreia sit species quædam vnionis tantum requiritur, omnes vniones Petri, quæ solæ ei inferiores sunt, summam in ea similitudinem habere, præter eas autem nullas alias in ea ratione similitudinem aliquam, nedum summam, aut æqualem sibi vindicare. Absque vilo quidem fundamento aliud quidpiam exposcitur: & neque ex definitione speciei, neque ex vilius probati Auctoris testimonio colligitur: At in ratione communi vnionis Petreæ omnes eius inferiores summè similes sunt, & nullæ aliæ vllatenus, ne dicam summè, aut æqualiter in ea conueniant: quidni ergo ea dicatur species? Profecto, si super prædicari de pluribus solo numero differenti-

bus in quid, qua ratione constat vnionem Petreiam prædicari, aliud amplius ad speciem requiratur, pari licentia quiuis poterit alias speciei condiciones pro libro confingere, & earum defectu species negare non paucas, earum, quæ veluti species hæctenus ab omnibus sunt receptæ.

34 Postremo mirari satis non possum aduersarios vti parilitate hominis similis Petro, vnionisque alteri coexistere, distare, aut simul cum ea videri potens: quasi si vnio Petreia sit species, sub qua vniones omnes Petri, non verò Pauli continentur, hoc ipso sequatur, *hominem similem Petro* fore speciem hominis, sub qua non Petrus, sed reliqui homines contineantur; & vnionem coexistere, distare, aut cerni simul cum alia potentem fore etiam speciem vnionis, sub qua vniones Petri; & Pauli, non verò duæ vniones Petri cohibeantur; miror, inquam, cum aliquos ita disputare video: rationes enim communes ab eis assignatæ sunt quædam relationes prædicamentales quadatenus extrinseca, & accidentariæ: vnio verò Petreia est omnino intrinseca, & essentialis suis inferioribus; & par est conditio vnionis Paulinæ: species autem suis inferioribus essentialis, & intrinseca esse debet: hanc namque vim habet vocula, *in quid*, eius definitionem claudens: mirum ergo non est, quod hæc rationes communes non verò illæ dicendæ, ac censendæ sint species. Quod si aduersarij de relatione similis, coexistentis, distantis, aliæve eiusmodi non formaliter, & in actu secundo, sed radicaliter, & in actu primo sumpta loqui se dicant, & hoc modo sumptam contendant esse omnino intrinsecam, & reapse essentialem, adeoque eam, quæ species esse queat, vbi semel vnio Petreia, aut Paulina inter species reponatur, haud propterea audiendi sunt; nam etiam posse esse similem, distantem, coexistentemve fortassis est denominatio extrinseca, vt suo loco constabit: aut licet non sit extrinseca physice, & simpliciter, at saltem est logice extrinseca, & accidentaria ad instar visibilis v.g. quod ita est, iuxta aduersarios, de essentia physica hominis, cumque eo realiter identificatum, vt à Deo ratione nostra sit distinctum, eiusque accidens logicum.

35 Hæctenus reiectæ solutiones superioris probationis nostræ; reliquum est, vt vnā, aut alteram instantiam aduersus illam proponamus, & diluamus pro eo, ac ad initium huius capitis polliciti sumus. Primò igitur ita illam Recentiores instant. Diuersitas specifica formæ substantialis arguit diuersitatem specificam totius ex ea, & materia resultantis, & ab vtraque iuxta nos realiter, & adæquatè distincti: quis enim neget, equum ab homine specie diuersum esse, ratione formæ equinæ diuersæ ab humana, idque siue totum à suis partibus distinguatur, siue secus? similiter ergo diuersitas specifica vnionis sufficiens erit ad inferendam diuersitatem specificam totius ab alio toto, esto alterutrum à suis partibus distinguatur: cum igitur Petrus, & Paulus iuxta nos sortiantur vniones specie diuersas, quidni inter se differant specificè ambo, vt vt à partibus suis vnitis realiter, & adæquatè distinguantur? distinctio ergo realis totius à partibus à nobis statuta nullatenus prodest ad tuendam specificam vnitatem, & identitatem Petri, & Pauli, ceterorumque hominum.

36 Respondeo, hominem definiri compositum ex corpore, & anima rationali, equum itidem compositum ex corpore, & anima equina. & sic de reliquis entibus completis: quare, vt hæc definitiones consent, ac veræ sint, oportet, vt homo (par autem est ratio aliorum compositorum) aut includat per identitatem corpus, &

& animam rationalem, aut vtrumque essentialiter connotet: proinde sublato primo secundum tenendum est, eoque supposito fieri nequit, vt totum illud distinctum à suis partibus, quod hominem vocamus, ex alia forma, quam rationali coalescat: ideoque per respectum essentialem ad illam ab omni alio toto specie diuersum euadit. Cæterum hæc ratio in vnionibus non militat: namque Petrus v. g. est hæc numero totalitas à suis partibus vnitis realiter distincta, & non respicit essentialiter magis hanc vnionem specificam, quam aliam: haud enim totalitas petit magis has partes, quam alias eiusdem speciei: quando igitur vnionum diuersitas tota provenit ex eo, quod hæc has numero partes, aliæ verò alias numero connotent: profecto totalitas, quam Petrum vocamus, haud magis petit hanc, quam illam vnionem, & quod ad aliquem essentialiter determinata sit, nullo colligitur argumento: vnde defectu talis determinationis, & exigentia ea totalitas non distinguitur specie ab vlla alia humana, adeoque aperte à nobis vitatur absurdum, quod aduersariis obicimus. Nec verò cuiquam mirum esse debet, quod hæc numero totalitas, Petrus v. g. possit diuinitus esse sine hac numero, materia, & forma: nam econuerso in aduersariorum sententia hæc numero materia, & forma Petri possunt diuinitus esse, quin sint Petrus, sed alius homo, si nimirum aliam substantiam creatam, aut increatam terminarent. Sed de hoc infra.

37 Aliter etiam initari potest nostrum argumentum, hoc scilicet pacto, si vniones humane Petri, v. g. & Pauli distinguuntur specie per respectum ad animas rationales solum numero distinctas, cur à fortiori hæc animæ, quas dicimus solum numero distinctas, non sint potius specie diuersæ, nimirum in ordine ad vniones non numero, sed quod plus est, specie diuersas. Respondeo, vniones, de quibus agimus, non esse diuersæ speciei immediate propter respectum ad animas numero diuersas, sed mediatè tantum, & quasi occasionaliter: proximè verò, & per se esse specie diuersas ob duplicem rationem communem vnionis Petreæ v. g. & Paulinæ: quæcumque vtraque nequit non esse species. At quamuis anima Petri, & anima Pauli respiciant vniones specie diuersas, non propterea sunt duæ rationes communes animarum, quarum quæuis de inferioribus solo numero distinctis in quid prædicetur, quemadmodum de vnionibus philosophabamur: nec etiam assignari potest propter talem respectum vlla ratio communis, quidditatiua, sub qua vna anima, & non alia contineatur: quæ enim, aut qualis est ea ratio? Vnde diuersitas specifica animarum ex vnionum diuersitate minimè colligitur.

38 Adice vterius, propterea animas Petri, & Pauli v. g. merito vnionum non differre specie, quia alias sequeretur nihil non differre specie à quouis alio: nihil enim inueniri potest, quod modos specie diuersos sibi proprios, & alteri rei non communes non sortiatur: hæc autem ratio non militat in vnionibus, vt perspicuum est. Tandem tota diuersitas specifica vnionum deuoluitur vltimò, ac mediatè ad respectum, quem habent ad animas ipsas numericè, & in indiuiduo, vt aiunt distinctas: quocirca hæc in ordine ad illas non nisi numericè, & indiuidualiter distinguuntur: sunt enim tales vniones specie diuersæ ea diuersitate, quæ ab indiuiduatione animarum sumitur, ac proinde harum sunt veluti proprietates dumtaxat indiuiduales, de quibus vulgo dialectici cum Porphyrio dicunt, earum collectionem vnā, eandemque duobus indiuiduis communem esse non posse. At econtrario quis dicat, vnionem Petreiam vt sic respicere velut pro-

prietates indiuiduales hanc, & illam vnionem Petri, à quibus præscindit, & cum quibus ita comparatur, vt homo cum Petro, & Paulo: per respectum ergo ad eas vnio Petreia erit species, speciei quæ diuersa ab vnione Pauli propria, & quouis alia.

CAPVT IV.

Vltior nostra, ac verioris sententia probatio.

39 **Q**Uæ talis est. Si totum per se, homo v. g. in materia, forma, & vnione realiter conflueret, & non potius ab iis realiter absolute distingueretur, sicuti superius exposuimus; sanè deficiente hac numero materia, hic numero homo, qui antea erat, postea persisteret, & manere omnino non posset. Consequens est aperte falsum. Ergo, &c. Sequela probatur primò: quia idem numero homo, qui antea puer erat, modò senex est: at in senectute eadem numero materia non remanet, quæ quis in pueritia vigeat, cum per nutritionem, & diminutionem plures materia partes alternatim acquirantur, & deperdantur. Secundò, quia idem numero homo, qui antea vixerat, resurrexurus est, vt fide sanctum est: sed non cum omnino eadem numero materia, quæ in hac vita potiebatur: ergo, &c. Id suadet, quia materia vnus hominis interdum est ex parte materia alterius hominis ita, vt cum eo vterque moriatur: haud ergo cum eadem numero materia omnino, & adæquata resurrexuri sumus: alioqui erit, vt eandem numero portionem materiæ diuersa supposita simul, & semel fortiantur in tempore vniuersali resurrectionis: quo nihil magis irrationabile, & falsius. Antecedens autem perspicuum est: quia corpus hominis mortui decursu temporis in olera, herbas, aliosque cibos conuertere solet: mediatè ergo in substantiam alterius hominis conuertere potest: immò mediatè in eam sæpe conuertitur, vt cum apud Barbaros alij aliorum carnibus saturantur: vbi autem materia vnus hominis in alterius substantiam conuertitur, cum ea confestim decedere potest. Et quidem eandem numero materiam esse successiue in duobus hominibus quid mirum est? cum eandem contingat esse successiue in hominibus, & belluis, vt belle explicat Lucretius lib. 2. de rerum nat. ibi:

*Præterea cunctas iidem res vertere sese
Verum se fluuij, frondes, & pabula lata,
In pecudes vertunt pecudes in corpora nostra,
Naturam, & nostro de corpore sæpe ferarum
Augescunt vires, & corpora pennipotentum.*

Ad hoc argumentum, quo etiam primus vtor, ad 40 probandam distinctionem realem totius physici, & naturalis à suis partibus, respondebunt Platonici animam esse totam quidditatem hominis: corpus autem animæ, ac proinde totius hominis merum esse vehiculum, & ad eius quidditatem non attingere: cum ergo homo in pueritia, & senectute ante, & post resurrectionem eadem numero anima rationali gaudeat, certè in quouis statu idem numero homo erit, quantumlibet diuersa numero materia potiatur.

Cæterum Platoniorum opinio, quæ compositum substantiale humanum non tam in collectione partium quam in earum altera constituit, impossibilis est: quid ergo probabilitatis habere potest solutio ei doctrinæ innitens? Id suadet: tum quia homo generatur, & corrumpitur: at anima rationalis nec generatur, nec corrumpitur: tum etiam, quia homo aut consistit partialiter in materia, aut ex ea, velut causa intrinseca resultat, iuxta illud Athanasij in symbolo,

sic

sicut anima rationalis, & caro unus est homo. Atqui anima hominis, nec in materia consistit, nec ex ea velut causa sui resultat, alias materialis foret: ergo sola illa homo, non est. Denique, quia equus ante, & post annos decem est idem numero: hoc autem ab aduersariis explicari nequit per hoc, quod eadem numero forma gaudeat, cum iuxta eorum non paucos forma equina diuisibilis sit, illiusque partes fluxæ, & caducæ sint, ac vi caloris naturalis sensum absumantur.

41 Respondebis secundò ex doctrina Magistri sentent. in 2. dist. 30. eas solas materiae partes, quas quisque in primo instanti suæ generationis habuit, communiter spermaticas, seu primigenias nuncupatas, ad essentiam hominis spectare, in iisque simul cum forma rationali, & vnione hominem formaliter consistere: reliquas verò naturam fouere, non constituere: cum ergo homo, siue puer, siue senex, siue viuus, siue rediuuius, eadem partes primigenias semper retineat, neque partes aliæ nisi quæ per nutritionem sunt acquisitæ vi caloris naturalis absumantur, sane in quouis statu idem numero homo quiuis remanebit, quantumlibet in collectione partium suarum consistat.

42 Contra tamen primo sic infurgo. Licet ossa, aliæque partes duriores corporis in primo instanti generationis habitæ postea semper indemnes maneant, nec vi caloris naturalis absumantur, improbabile tamen est, carnem aliasque partes teneras corporis, quantumvis primigenias, vi & efficacia præfati caloris non absumi, cum nec magis suapte natura resistent, nec ætiori vinculo glutinose vniantur animæ, quam partes, quæ per nutritionem comparantur. Et quidem non tantum aliquas, sed omnes partes primigenias amitti, earumque nihil siue tenerum, siue etiam durum in extrema ætate reliquum fieri, docet noster Pereira lib. 3. de diuinat. Astrolog. c. 3. §. 23. vbi id multis, & magnis Philosophis, atque inter eos B. Thomæ r. p. quæst. ult. art. 1. placere testatur. Deinde secundò tamen si hac ratione intelligatur, quatenus sit idem numero homo, qui modò senex est, & ante puer erat, adhuc non conspicio, qua ratione à Magistro, & sequacibus defendi possit, eundem numero hominem, qui antea vixerat, postea resurrectorum: siquidem duo homines in eadem materia primigenia coincidere possunt, & partes spermaticæ vnus hominis decursu plurium annorum, aut si maius sæculorum, ad alterius primam generationem spectare possunt.

43 Occurrit tamen duabus difficultatibus proximè positis, ex doctrina quorundam Recentiorum, quibus sententiam Magistri omnino non displicere video; dicetque, cum calor naturalis per omnes partes corporis ex æquo diffusus sit, non esse, cur hæc potius, quam illæ eius vi absumantur, atque adeò quales amittendæ sint, ex determinatione, & arbitrio causæ primæ pendere. Quare Deus efficere poterit, ut nunquam partes spermaticæ absumantur, & ut quoties partes spermaticæ, aut aliæ quævis vnus hominis in alterius substantiam fortè conuersæ sint, ex præcipuè absumantur: quo fiet, ut nunquam vnus homo cum materia spermatica, aut non spermatica alterius ex hac vita decedat, nec corpus vilius beati ab aliquo condemnato, aut conuersim, die resurrectionis vllatenus auferri. Ità nonnulli.

44 Verum uti quod flamma per ædes sparsa has, & non illas, aut has prius, quam illas absumat, non ex determinatione solius causæ primæ dependet, sed ex intentione, propinquitate, resistentia, & aliis dispositionibus agentis, & passî, ut compertissimum est; ita similiter quod calor naturalis per partes omnes corporis fusus has, & non illas, aut has prius, quam illas hau-

riat, non nisi parum philosophicè in arbitrium, ac libitum solius causæ primæ refunditur. Eo vel maxime quod aduersarij vtrumque continui extremum vnionis continuatiuæ subiectum potius debere esse, quam quale debeat esse, ad arbitrium causæ primæ reuocandum censent.

45 Duabus difficultatibus superioribus ab instantia neotericorum proximè vindicatis, aliam ordine tertiam aduersus solutionem nostri argumenti ex magistro propositam, aliam inquam adicio difficultatem: quæ sic habet. Partes materiae per nutritionem acquisitæ aliquod cum anima rationali compositum constituunt: at non aliud quam hominem; homo igitur iis partibus essentialiter constat: hoc autem ipso quod ita ex iis coalescat, sane nostrum pro distinctione totius à partibus argumentum redit. Maior autem ostenditur: si quidem ex partes per nutritionem vniantur animæ rationali: aliquod igitur cum ea compositum constituunt. Antecedens est perspicuum: quia terminus nutritionis aliquis esse debet: non materia, aut anima rationalis: quippe, quæ ab agente naturali, nec per actionem nutritiuam, nec per aliam vllam sunt producibiles: ergo sola earum vnio.

46 Respondebis tertio cum aliquibus Thomistis, hominem consistere formaliter, & per identitatem in anima rationali, vnione, & materia: ceterum non magis in hac materia quam illa: quia, cum materia de se sit pura potentia, & nullum esse habeat, quod à forma substantiali non sit, sane quod hæc numero materia sit, ab hac numero forma habet: quare quæcumque materia sit, semper hæc numero erit, vbi hæc numero forma informetur: homo autem eadem numero anima rationali gaudet, siue senex sit, siue puer, siueque ante, siue post resurrectionem: quid mirum ergo, si idem numero homo in quocumque statu sit: vt vt à suis partibus realiter ad quæ non distinguatur? Nec verò in hac doctrina contradictio vlla inuoluitur, ut aliqui existimant: vbi enim hæc numero materia de essentia hominis asseritur; de materia hac numero in actu secundo sermo est: cum verò hæc, vel illa materia indeterminatè de essentia hominis adstruitur, de materia hac, vel illa numero solum in actu primo, & radicali sermo est, quæ certè sibi coherent.

47 At ne hæc solutio placeat: tum, quia materiam primam esse puram potentiam falsò supponit: tum etiam, quia hunc numero hominem aliquo indeterminato constitui, nimirum hac, vel illa pura potentia, siue hac, vel illa materia in actu primo falsum planè est, ut constat ex dictis supra hoc ipso tract. cap. 2. & sequent. Denique, quia non explicatur, nec potest, quo pacto maneat idem numero equus v. g. antè, & post annos decem: siquidem eadem numero forma equi toto eo spatio non perseverat, si, quod aliqui aduersariorum censent, forma equi non est indiuisibilis, sed potius pro extensione partium materiae, quas informat, extensa, & partibilis, adeoque accretioni, & diminutioni subiecta.

48 Respondebis quartò, cum nonnullis neotericis, hominem consistere reuera in materia, forma, & vnione, nec esse totum aliquod ab iis realiter distinctum: ceterum materiam primam determinatam in primo instanti generationis ad essentiam huius hominis atfinere: hanc verò, aut illam numero materiam indeterminatè sumptam pro reliquis instantibus ad eam spectare (de materia autem hac, vel illa numero in actu secundo iis sermo est, eo quod materiam primam puram potentiam non esse nobiscum supponant) cum ergo homo siue puer, siue senex sit, & siue antè, siue post resurrectionem hac numero forma gaudeat,

gaudeat, & in primo instanti suæ generationis hanc numero materiam à materia alterius distinctam habuerit; in reliquis verò instantibus hanc, aut illam numero materiam indeterminatè sortiatur, inde est, quod homo in quouis statu semper sit idem numero.

49. Displicet etiam hæc responsio. Primum, quia materia principaliter constitutum hominis est, quam vnio: at hic numero homo in hac, vel illa vnione indeterminatè sumpta formaliter consistere nequit, vt suprà latè ostendi; à fortiori ergo, &c. Tum etiam, quia si hic numero homo ex hac numero materia præterita, siue pro generationis instanti & ex hac, vel illa materia pro sequenti coalesceret; sanè homo esset quid morale, & non physicum; sicut v.g. obligatio legis ex voluntate legislatoris præterita, & præsentis non retractatione coalescens ens morale dici consuevit. Consequens autem est apertè absurdum. Tertio eadem ratione dici posset, hunc numero hominem in hac numero forma pro primo instati, & in hac, vel illa forma indeterminatè prosequenti simul cum materia, & vnione formaliter consistere: quo quid falsius? Denique iuxta aduersarios idem numero equus manet post decennium, aut vltra: at de eorum sententia non manet eadem numero forma equi toto eo spatio: ergo hic numero equus hanc numero formam essentialiter non postulat: quam tamen eum postulare, & ipsi fatentur, & ex identitate totius cum partibus perspicuè sequitur.

50. Postremò respondebis cum aliis, hominem in materia, forma, & vnione ita formaliter consistere, vt, variata numero materia, hic numero homo physice non remaneat, sed tantum moraliter: Quare non eundem hominem physice puerum, & senem esse, cum in senectute, & pueritia diuersa numero materia constet; eundem tamen moraliter hominem in vtraque ætate eum esse, propterea quod eius materia, quamuis successiue mutata, semper tamen sit moraliter eadem: eo pacto, quo v.g. aquæ fluminis successiue labentis moraliter eadem semper censetur.

51. Et quidem hominem, cum puer est, cumque postea senex, eundem esse non physice, sed tantum moraliter sententia fuisse videtur Alpheni in l. proponebatur 76. ff. de iudiciis vbi statuit, *non modo si vnus, aut alter, sed etsi omnes iudices mutati essent, tamen & rem eandem & iudicium idem, quod antea fuisset, permanere*: neque in hoc solum euenire, vt partibus commutatis eadem res esse existimaretur, sed & in multis cæteris rebus. Nam & legionem eandem haberi, ex qua multi decessissent, quorum in locum alij subiecti essent: & populum eundem hoc tempore putari, qui ab hinc centum annis fuissent, cum ex illis nemo nunc viveret: itémque nauem si adeo sape refecta esset, vt nulla tabula eadem permaneret, qua non nona fuisset, nihilominus eandem nauem esse existimari. Quod si quis putaret, partibus commutatis aliam rem fieri: fore vt ex eius ratione nos ipsi non ydem essemus, qui ab hinc anno fuissimus: propterea quod, vt philosophi dicerent, ex quibus particulis minimis confisteremus, hæc quotidie ex nostro corpore decederent, aliæque extrinsecus in earum locum accederent. En exemplo eius identitatis, & vnitatis, quam homo secum habet pro diuersis temporibus; explicat Iureconsultus identitatem iudicij, legionis, populi, & nauis, cum successiue fit mutatio in earum partibus, & constitutiuis: talémque existimat hæc posteriorem identitatem, qualem illam priorem, & è conuerso: liquet autem, identitatem iudicij, legionis, &c. eorum partibus decursu temporis mutatis, haud esse physicam, sed tantum moralem, &

magis penes interpretationem quandam iuris, quam secundum rerum ipsarum naturam, pressè & scholasticè sumptam. Pari ergo ratione homo alio, atque alio tempore, aut ætate, non idem numero physice, sed tantum moraliter erit: aut certè nullum erit exemplum, quo Alphenus, & passim alij Iureconsulti vtuntur.

Consequenter autem ad hanc doctrinam, quod ad resurrectionem attinet, dices cum Recentioribus, eundem omnino hominem physice non resurrecturum, sed tantum eundem moraliter: propterea quod materia cum qua vixit, & quæ ex parte fuit alterius hominis, substituatur alia; ab ea, quam habuit cum decessit, moraliter non diuersa, sed potius eadem. Quæ identitas moralis vnus materia cum alia physice diuersa facilius etiam, quam alia identitates morales potest intelligi: nimirum quia physica diuersitas vtriusque materia est exigua; & quicquid homo in die resurrectionis eandem physice materiam, cum qua obiit, eandem, inquam, maiori ex parte, & penè adæquatè recuperaturus est. Quod ita ostendunt Neotherici.

Etenim naturaliter repugnat, vt vnus homo in eadem numero materia adæquatè, aut ferè adæquatè sumpta cum alio homine in instanti mortis coincidat: quia, esto aliquis homo ab humanitate vsque adeò alienus sit, vt alium hominem integrum deuoret, non ob id omnes eius partes in suam conuerteret substantiam, sed subtiliores tantum, & ne ex octoginta partibus vnā quidem: reliquæ autem partes non nisi longo post tempore in cibum conuerterentur: & nec omnes in eum conuerterentur: quare in substantiam hominis illius omnes conuertere non poterunt; & si quas conuertere contingat, interim quæ ante conuersæ erant, vi caloris naturalis magna ex parte supponuntur absumptæ: naturaliter ergo fieri nequit, vt duo homines in eadem numero materia adæquatè sumpta decedant: vnde materia vnus hominis à materia alterius in articulo mortis maiori ex parte diuersa erit, physice loquendo: & sic quicquid eandem physice materiam, cum qua decessit, recuperabit maiori ex parte: cum nihil sit, quapropter portio vlla considerabilis materiae suæ ei sit adimenda, aut alteri conferenda: si quid enim maximè coincidentia vtriusque eorum in multis partibus materiae, cum decedunt: at quod commentitia sit eiusmodi coincidentia, satis superque videtur probatum.

Verum, vt ab hoc vltimo incipiam, eundem numero hominem non solum moraliter, verum etiam physice resurrecturum, sacris litteris magis conforme est, vt constat ex cap. 16. Iob ibi, *in nouissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum Salvatorem, quem visurus sum ego ipse, & non alius, & oculi mei conspiciuntur sunt*. Quæ verba identitatem, quanta maior esse nequit, ac proinde physicam, & non moralem indicant. Deinde resurrectio Christi nostræ resurrectionis typus, atque exemplar fuit, iuxta illud Pauli epist. 1. de Corinthios cap. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita etiam in Christo omnes viuificabuntur*: quod etiam cum Diuo Thoma 3. p. q. 56. art. 1. & 2. omnes Theologi profitentur. At idem numero Christus etiam physice, qui vixerat, & in terris conuersatus est, resurrexit: ergo & idem numero homo physice qui vixerat, resurrecturus est.

Hinc, & ad primum regrediar, ostendo eundem physice hominem senem, & puerum esse: quia etiam in resurrectione eorum, qui in ætate infantili decesserunt, magna iis portio materiae addenda est: propterea quod omnes resurrecturi sint in mensura ætatis

ætatis plenitudinis Christi, hoc est, viri perfecti, vt communi Patrum sententia tradit Suarez tom. 2. in 3. p. d. 50. sect. 5. §. 30. Alit hoc non obstante idem numero homo, qui ante vixerat, idem, inquam, physicè resurrecturus est, vt numero superiore exposui. Quātumvis ergo puer in virili ætate, aut senectute plus acquisierit materiæ, quam antea habuerit, tamen idem numero homo etiam physicè permanebit.

- 56 Quod verò attinet ad locum ex Alpheno adductum, fateor identitatem ibi allegatam iudicij, legionis, populi, & navis esse tantum moralem, ac per solam interpretationem, seu fictionem iuris, secus verò physicam, & rigorosam. Id quod egregie declarat Alexander ab Alexandro lib. 3. dier genial. c. 1. occasione scilicet eius quasiuncule, an navis, qua Theseus fertur in Cretam delatus, quæque Athenis vsq; ad tempora Demetrii Phalerei seruatur, esset eadem, cum semper navis Thesei diceretur, vel diuersa, eo quod pristina materia non constaret, sed alia in eius locum per varias ætates suffecta. Doctissimus etiam Saliarius noster tom. 6. Annal. anno mundi 4035. vers. *Verum instamus*, docet templum à Zorobabele ædificatum ita fuisse, cum templo Salomonico, cui substitutum est, moraliter idem (iuxta illud Aggæi c. 2. ibi: *quis vidit domum istam in gloria sua prima*) vt alterutrum eorum ab altero numericè, ac realiter, seu physicè distingueretur. Dicatur, inquit, eo loci una domus, aut templum successivè, aut æquivalenter: re tamen ipsa constat, esse plures domus, & plura numero templa, quando uno funditus everso, alterum à fundamentis excitatum est: sicut plures sunt numero homines Filius, & Pater, licet legamus in scriptura (Eccl. c. 30.) *mortuus est Pater eius, & quasi non est mortuus; similem enim reliquit sibi post se*, &c. Et verò res est per se clara, & manifesta, vt ab antiquis Sophistis fuerit in utramque partem prolixè disputata.

- 57 His constitutis admitto, per identitatem hominis secum ipso pro diuersis temporibus explicari ab Alpheno, & aliis Iureconsultis identitatem iudicij, legionis, populi, & navis. Hinc tamen haud sequitur, priorem illam identitatem ad instar huius posterioris esse debere tantum moralem, & non omnino physicam. Haud enim oportet exemplum indefectivè assimilari, haud, quod perinde est, in omnibus proportionari ei, pro cuius adducitur explicatio: alias non esset exemplum, aut simile, sed idem, vt notant B. Tho. 3. p. q. 2. art. 6. ad. 1. & Damasc. lib. 3. fid. c. 26. ad fin.

CAPUT V.

Proponuntur, ac solvuntur communia aduersus nostram sententiam argumenta.

- 58 Totum substantiale, & per se resultans ex partibus essentialibus corporis naturalis realiter adæquate ab iis non distingui, contrarium hætenus probare conati sumus, censent Auerroes comm. 17. Boëtius de Trin. c. 3. & Alexand. Simplicius, Themistius, Philoponus, & Niphus. Item Greg. in 1. dist. 24. q. 1. art. 1. Durandus in 3. dist. 2. q. 2. Paludanus ibid. dist. 1. q. 1. Ioannes à S. Thoma q. 6. Phys. art. 2. & ex nostris Suarez disp. 36. Met. sect. 3. n. 9. & seq. Tolet. lib. 1. Phys. q. 6. Rubius lib. 1. phys. c. 3. q. 1. num. 66. Hurtad. d. 6. phys. sect. 1. Tellez disputat. 20. phys. sect. 3. Quieto controu. 5. punct. 1. Arriaga disp. 4. sect. 1. Franciscus Alphons. disp. 6. sect. 2. Eandem sententiam problematicè tuentur Conimb. & Pereira superius citati.

- 59 Pro ea autem, & aduersus nostram, verioremq; argui solet primò, in hunc modum. Si totum substantiale, & per se, homo v. g. esset quid realiter adæquate distinctum à suis partibus, in iisque formaliter non consisteret, profectò esset quid simplex, & non compositum: at homo non est quid simplex, sed ex anima, & corpore compositus, vt per se manifestum est, vtque nos etiam falsi sumus: Ergo, &c. Sequela probatur: quia illud est simplex, quod formaliter nullas habet partes: homo autem, qualis à nobis adstruitur, nullas habet formaliter partes; siquidem à quibusvis partibus realiter distinguitur: qui ergo fieri potest, vt non sit quid simplex. Et quidem ea ratione Angelus simplex est, quia ab omni collectione partium realiter distinguitur. Respondeo, simplex id dici, quod nullas habet partes, vel ex quibus resultat, vel in quibus consistat: qua ratione Angelus simplex est, quia utroque modo partium expers est; & qua ratione iuxta plerisque aduersarios punctum materiale est, non quia partes continuas formaliter, & per identitatem includit, sed quia eas respicit, atq; intrinsicè connotat. Quandoquidem igitur homo, quantūlibet à partibus suis realiter distinctus, ex iis resultat, sanè compositus, & non simplex censendus, atque appellandus est.

Argues secundo. Illud est totum substantiale, & per se ex animo rationali, corpore, & vnione coalescens, quod est principium sentiendi, & discurrendi, siue animal rationale: sed huiusmodi principium est præcisè anima, corpus, & vnio: circumscripto enim quouis alio, eo ipso quod materia, & anima rationalis inuicem vniantur, intelligitur principium sufficiens sentiendi, & discurrendi, cum anima sensationes efficere, & materia eas recipere possit; eademque anima dependenter à sensibus per se, vel per intellectum sibi cognatum intelligere, siue discurrere possit. Respondeo, totum substantiale, ac per se ex collectione partium hominis consurgens est principium sentiendi, & discurrendi, ut quod, non verò ut quo: at collectio partium hominis non est principium sentiendi, & discurrendi, ut quod, sed præcisè, ut quo: siquidem, vt fert communis parcemia, actiones sunt suppositorum, solaque hæc, ut quod, operantur: atqui collectio partium hominis, etiam iuxta aduersarios, suppositum non est. Quod autem non omne principium sentiendi & discurrendi debeat eo ipso esse homo, ad homines ita ostendo: quia potentia hominis sunt principium sentiendi, & discurrendi; & tamen iuxta non paucos aduersarios hæc quæquam sunt homo, sed eius accidentia, & proprietates: quamvis ergo in præsentia, &c.

Argues tertio: si homo distingueretur realiter adæquate à suis partibus collectim sumptis, & è conuerso: partes hominis de eius essentia non essent: siquidem nihil potest esse de essentia eius, à quo realiter distinguitur: alias lapis de essentia Angeli esse posset: quare, si partes hominis ab eo realiter distinguuntur, ei essentielles esse non poterunt. Respondeo, essentiam metaphysicam rei ab ea realiter distingui non posse; secus verò essentiam physicam: quod ad homines contra aduersarios ostendo: nam partes essentielles metaphysicæ, seu logicæ, sicut inter se ratione distinguuntur, sic etiā à toto ratione saltem ratiocinante distinguuntur: ergo partes essentielles physicæ, sicut inter se realiter distinctæ sunt, ita etiam à toto realiter distingui poterunt. At in præsentia sermo est de partibus physicis hominis, & cuiusvis alterius compositi naturalis, non verò de metaphysicis, aut logicis, adeoque de essentia non hoc posteriori, sed tantum priori modo sumpta. Proinde, &c.

Paulo aliter etiam responderi potest, in hunc scilicet modum. Aliud est esse essentiam rei, aliud esse de essentia rei, si cum rigore, & proprietate loquamur; F quod

quod est essentia rei, ab ea quidem realiter nequit distinguui: at verò quod est de essentia rei, siue quod perinde est id, ex quo essentia rei realiter resultat, à re realiter adæquatè distingui potest; vt vel ex contraria sententia demonstrari potest: siquidem quæuis pars est de essentia totius, & tamen quæuis seorsum ab alia distinguitur realiter à toto, & cum eo nequit realiter adæquatè identificari: cum ergo partes physice simul sumptæ non essentia compositi, sed solum de illius essentia sint, mirandum non est, si à toto suo realiter adæquatè distingui possint. Aut, si mauis, responde, quod est de essentia alicuius in recto sumpti, id ab eo distingui non posse, secus verò, si sumatur in obliquo: partes autem hominis ei non in recto, sed quasi in obliquo sumpto dici posse, & debere essentiales.

63 Argues quarto: compositum includit formalissimè compositionem; sicut album albedinem: at compositio est vnio partium: ergo compositum omne includit formalissimè vnionem partium, ac proinde partes ipsas, quæ homini, & cuius alij composito, non minus saltem quam vnio, sunt intrinsecæ. Respondeo: compositum est, quod habet compositionem, siue in ea consistat, siue solum ex illa resultet, eamque essentialiter connotet: sicut viuens est, vel quod in vita consistit, eamque formaliter includit, vel quod vitam in obliquo tantum connotat, eamque essentialiter respicit: quæ ratione viuens aliud est in actu primo, aliud in actu secundo: vnde compositum vt sic non se habet ad compositionem, vt album ad albedinem, aut veluti vnitum ad vnionem, sed solius compositi per accidens ea proportio propria est. Erit etiam, qui dicat, compositum vt sic includere formaliter compositionem, siue vnionem: ceterum hominem v.g. non esse compositum formaliter, sed plerumque resultantem aut causaliter: de quo infra.

64 Argues quinto. Quæcunque iisdem partibus constant, eo ipso sunt realiter idem: sicut è cõtrario quæcunque diuersis realiter partibus constant, nequeunt non esse realiter diuersa: quæ ratione homo, & equus realiter distinguuntur, ac differunt inuicem. At hinc collectio materiæ, animæ rationalis, & vnionis, & illine homo ex iis coalescens proculdubio constant iisdem partibus: homo igitur, & ea collectio erunt realiter idem. Respondeo: quæcunque iisdem partibus constant, si iis cum proportionem, & eodem modo constant, realiter sunt idem: secus verò, si absque proportionem, & diuerso modo ex iis coalescant. Quando igitur homo partibus suis ita constat, vt ex iis resultet, non in iis formaliter consistat; collectio verò partium hominis in partibus formaliter consistat, & ex iis non resultet, sanè homo à collectione partium suarum distigui realiter poterit, ac debebit.

65 Argues sexto, ab auctoritate Arist. 2. de anima c. 1. ibi: anima, & corpus est animal, sicut pupilla & visus est oculus; cui similia habet quinto Met. text. 31. & 4. phys. text. 33. Consentit Athan. in symbolo inquires: Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo, &c. Et Aug. 7. de Trinit. c. 4. ibi, homo nihil aliud est, quam anima, & corpus: quo eodem modo loquitur lib. 9. de ciuit. Dei, c. 3. & tom. 2. epist. 174. c. 3. in eius principio. Verum imprimis instatur argumentum. Si cuius enim robotis est, id probat, nullo modo, & ne realiter inadæquatè distingui hominem à corpore & anima. Consequens autem est absurdum, vel iuxta ipsos aduersarios: quippe qui non renuunt, hominem in suo cõcentu præter corpus, & animam vterius inuoluere substantiam realiter distinctam. Absolutè respõdeo, propositionem illam Aristotelis, Athanasij, Augustini aliorumq; Patrum, & Philosophorum, in qua dici-

tur, hominē esse corpus, & animam, accipiendam esse in sensu causali, non verò in sensu formali, & identico: quare eam nullum nobis negotium facessere.

Confirmatur & declaratur. Nam sapientia est quid 66 distinctum à quouis affectu voluntatis, & potius ad intellectum pertinet, vt vel ex ipso nominis eius vsu vulgari constat, vtq; ex sacris litteris patet: siquidem cū Sapient. c. 7. dicatur: *Opirari, & datus est mihi sensus: inuocavi, & venit in me spiritus sapientie*; statim additur, & *proposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile est lumen illius*. Quis autem nesciat, lumen, lucemque ad intellectum formaliter pertinere? quocirca meritò dixit Aug. ser. 3. de tempore; *Anima viuunt, ratio sapit, nam sapientia ad rationem pertinet, & ratio sola ipsam sapientiam suscepit*. Hæc quamuis ita sint, & sapientia ab affectu quouis nostræ voluntatis distinguatur; tamen in multis propositionibus sapientia de voluntatis affectibus prædicatur, & è cõuerso; nimirum in sensu causali, eò quod pios in voluntate affectus excitet. Sic c. 28. Iob. dicitur; *ecce timor Domini ipsa est sapientia*; aut iuxta aliam versionem, *pietas ipsa est sapientia*. Sic etiā Aug. epist. 120. de grat. noui testamenti c. 20. inquit; *Sapientia est charitas Dei, nec diffunditur in cordibus nostris, nisi per spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Quemadmodum ergo hæc, & alie similes propositiones, quæ passim habentur in scripturis, & Patribus, sunt veræ, non in sensu formali, sed in sensu causali; ita similiter, cum dicunt Patres, & Philosophi, hominem esse corpus, & animam, eiusmodi propositio sumi poterit, non in sensu formali, sed tantum in sensu causali: neque necesse erit propterea, vt totum substantiale physicum suis cum partibus realem sortiatur identitatem.

Confirmatur, & declaratur hoc ipsum iterū. Namque Ioan. 11. dicitur: *Ego sum resurrectio, & vita*. Et tamen in sensu causali, non formali, vt per se patet, vtque Patres, & interpretes super eum locum docent: præsertim verò Hieron. in Isaiam c. 26. ibi: *Qui iniquitate mortuus est, atque peccatis antequam viuificetur, iustitia, atque virtutibus per eum qui dicit, ego sum vita, viuere non poterit*. Et Cyrillus Alex. lib. 1. Genes. circa finem ibi; *Quia de spiritu sancto dedit nobis; ergo ipse est vita nostra, ipse nostra iustificatio*. Similiter ergo in præsentī, &c.

Rursus 1. Pauli ad Corinth. 1. dicitur; *Ex ipso autem vos estis in Christo Iesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio*. Quas tamen propositiones in sensu causali accipiendas esse docent Patres, & Catholici omnes: præcipue verò Theologi scholastici, & Controuersistæ ita eas intelligunt, aduersus hæreticos nostri temporis: vide inter alios Cardin. Bellarm. lib. 2. de iustificatione per totum, & P. Suarez tom. 3. de grat. lib. 6. 7. & seq. ac præsertim c. 7. lib. 7. Præterea cum Davidis Psal. 70. dicitur; *tu es patientia mea*, hæc propositio, in sensu causali, non verò in alio vera est, vt ex eodem Dauide Psal. 61. colligit Aug. lib. 15. de Trin. c. 17.

Quid plura? Mathematici communiter definiunt, 69 lineam esse fluxum pūcti, vt videre est apud nostrum Christophorum Clauium lib. 1. elementorum Euclidis n. 2. At ea propositio non est vera, nisi in solo sensu causali; vt perinde dictu sit, ac lineam esse vestigiū illud, quod punctum fluxu, ac motu suo causat, aut causare potest. Quo etiam sensu definiunt, superficiem esse fluxum lineæ in transuersum motu, id est vestigiū ex tali motione lineæ relictum, causatūque. Quæ omnia cum ita sint, quid est, quapropter etiam propositio nobis obiecta accipi non possit, debeatque in sensu causali.

CAPVT VI.

*Communibus aduersus nostram, & verio-
sententiam argumentis alia quædam specia-
lia adijcio.*

70 **A**rgues septimò & comminua argumenta supe-
rius posita confirmabis. Si totum substantiale, &
per se v. g. homo à partibus suis realiter adæquatè di-
stingeretur, & ita ex iis partibus resurgeret, vt ex aliis
numero partibus resurgere suapte natura posset, vt i su-
prà edocuiamus; sanè idè numero homo, qui in hac vita
agebat, cum alia numero materia etiam adæquatè sum-
pta resurgere posset. Consequens autem absurdum est:
siquidem ex eo præcisè colligitur quemuis hominem
cum eodem numero corpore, quo in hac vita gaude-
bat, postea resurrectorum, quia idem numero homo
resurrectorum est: at ea collectio nulla esset, si cum alio
numero corpore posset idem numero resurgere.

71 **R**espondeo, cum iisdem numero corporibus, quibus
in hac vita gausi sumus, omnes resurrectorum: nò quia
iisdem numero, qui antea, futuri sumus (hæc enim cau-
salis est falsa, cum hic numero homo determinatum
numero corpus minimè postulet) sed quia absolutè
resurrectorum sumus: resurrectorum autem propriè sumpta
non nisi eiusdem corporis esse potest; vt explicat Greg.
in c. 19. Iobi lib. 1. c. 17. ibi: *Non rectè resurrectorum di-
ci potest, ubi non resurgit, quod cecidit.* Et Damascenus
lib. 4. de fide c. 28. ibi: *Resurrectorum nihil aliud est, quam
secunda eius, quod cecidit, surrectorum.* Ex quo efficitur, vt
ipsum illud corpus, quod interit, & dissoluitur, tan-
dem interitus expers ad vitam reditum sit. Confir-
matur: quia in verbis Iob suprà laudatis, aliisque sacri
instrumenti locis expressè asseritur, omnes resurre-
ctorum cum iisdem numero corporibus: imò expressius
hoc asseritur, quam quod iisdem numero etiam physi-
cè resurrectorum sumus: cur ergo illud prius ex hoc
posteriori colligatur?

72 **A**rgues octauò ex nostra sententia sequi, sine hac
materia, forma, & vnione hunc numero hominem v. g.
Petrum, diuinitus esse posse. Consequens autem vi-
detur valde absurdum. Respondeo tamen, hoc argu-
mentum vel eodem, vel certè non ab simili modo con-
tra aduersarios militare: siquidem non magis incon-
ueniens, aut inuicibilis est, Petri diuinitus esse posse
absque hoc numero corpore, anima, & vnione, quam
vice versa hoc numero corpus, hanc numero animam,
& vnionem simul sumpta absque Petro reperiri posse:
at hoc secundum aduersarij fatentur, nimirum si corpus,
animam, & vnionem Petri absque illius substantia
Deus conseruet, eamque vel nulla substantia, vel certè
aliena terminet: Cur ergo illud prius renuant. Quid?
quod iuxta nò paucos separabilitas realis haud sit ne-
cessariò coniuncta cum distinctione reali etiam in re-
bus creatis: sicut neque cum ea coheret in diuinis, vt
pater in Patre æterno, & filio realiter distinctis, & ta-
men inseparabilibus inuicè. Quare tamen distinguat-
ur realiter adæquatè Petrus v. g. à suis partibus simul
sumptis, & vnitis, haud propterea consequens est, vt
ab iis possit diuinitus separari, aut sine iis, ac præser-
tim sine anima sua reperiri.

73 **A**rgues nonò, ex nostra opinione sequi Christum
non esse hominem eiusdem speciei nobiscum: siquidè
totalitas illa substantialis, & per se, siue integritas par-
tium, in qua ratio hominis vnice à nobis collocatur,
diuersæ speciei est in Christo, nobisque: quippe in illo
infinita, nec aliud, quam eius substantia increata, vt
inferius exponemus, in nobis verò finita, vt per se ma-
nifestum est. Respondeo; vt duo sint diuersæ speciei,
satis est ea in aliquo constitutio speciei cōueniant, vt
cernere est in homine, & equo, qui eadem materia, &

R. P. Richardi Lyncei, Philosophia Tom. II.

diuersa forma substantiali constituitur, ac propter hanc
diuersitatem, non obstante illa identitate, & cōuenien-
tia, diuersæ sunt speciei. At Christus, & reliqui homi-
nes, etiā iuxta aduersarios, in aliquo constitutio homi-
nis speciei differunt, nimirum in substantia: igitur aduer-
sarij eodè argumēto, quod nobis obiiciūt, premuntur.
Omnibus ergo fatendū est, Christū aliosque homines
solum speciei cōuenire, ratione naturæ hñæ, actiue, &
passiue, videlicet corporis, & animæ rationalis; quod
nos vtrò largimur. Sed de hoc fortassis plura inferius.

Argues decimo. Si totum substantiale, & per se ef-
fet realiter adæquatè distinctum à suis partibus, sanè
homo v. g. esset perfectior anima rationali, & simul ef-
fet ea imperfectior. Consequens est absurdum: ergo
& illud ex quo sequitur. Sequela quoad priorem con-
tradictionis partem probatur: nam omne totum est
maius, perfectiusque sua parte: quod est principium ma-
thematicum, & adeo euident, vt nihil suprà: at homo
est totum substantiale, & per se ex corpore, & anima
rationali vnitis, tanquam ex partibus, reultans: nequit
igitur non esse perfectior qualibet earum partium, ac
proinde animali rationali. Posterior autem contradi-
ctionis obiectæ pars suadetur: siquidem illud totum
substantiale, & per se, quod ex partibus hominis resul-
tat, est materiale, & corporeum, vt potè à corpore es-
sentialiter pendens, & cum eo coherens: anima nostra
est immediatè intellectiua, & libera, immortalis, & c.
quæ tamen denominationes in illud totum non ca-
dunt. Eiusmodi ergo totum est imperfectius anima ra-
tionali, atque adeo homo in eo toto consistens, & ab
eo indistinctus nequit non esse imperfectior anima
rationali, qua constituitur.

Respondeo: totū omne est extensiuè maius, & perfe-
ctius, quauis sua parte, quia continet plures perfectio-
nes, quam quælibet sua pars, videlicet suam perfectio-
nem, & partium suarum perfectiones: eius autè qua-
libet pars non continet perfectionem totius, eo quod
pars in toto, non hoc in parte saltem eadem proprie-
tate contineatur, nec etiam alterius compartis perfe-
ctionem continet, aliàs vtraque pars esset mutuo con-
tinens aliam, & ab ea contenta, quod tamen falsum,
imò ridiculum est: quo fit, vt quauis pars solam suam
perfectionem contineat, ac proinde toto suo extensi-
uè minus, imperfectiusque sit, non è conuerso. Cæte-
rum intèsiuè totum omne quauis sua parte perfectius
esse non debet, sed potius aliquando ea esse potest im-
perfectius. Etenim aliquod totum nempe substantia-
le, ac per se causatur à sua parte, eiusque effectus est:
cum ergo effectus causa imperfectior esse possit, quid
mirum, si præfatum totum parti alicui suæ perfectio-
nis gradu possit decedere? Quod autem Suar. disp. 15.
Met. sect. 7. à n. 6. & Caberus tom. 1. phys. tr. 1. disp. 6.
dub. 2. docent, solas causas extrinsecas esse posse intè-
siuè perfectiores suis effectibus, non verò causas in-
trinsecas id absque fundamēto, & auctoritate dicitur.
Tum etiam in Deo collectio trium personarum est
quoddam totum, & quasi complexum respectu cuius-
uis personæ seorsim sumptæ: at ea collectio intensiuè
perfectior non est qualibet parte sua seorsim sumpta:
nec enim tres personæ diuinæ maius quid, aut perfe-
ctius sunt, quam vna sola: ergo, & c. Quod ibi infinitas
sine distinctione præstat, cur obsecro id ipsum hñc di-
stinctio sine infinitate præstare nequeat? Deniq; est
totum actuale logicum quauis parte sua magis perfe-
ctum sit, intensiuè loquendo; homo enim animali &
rationali seorsim vsurpatis ita est perfectior; cæterum
totum potentiale logicum quauis sua parte intensi-
uè perfectius non est: animal enim explicite sumptum
haud adeo perfectum est, ac homo, qui eius pars
subiectiua est, nedum magis perfectum. Ex quibus

patet, totum substantiale, & per se vno sensu esse debere perfectius quavis sua parte, & alio esse posse & debere ea imperfectius, ac proinde hominem, qui eiusmodi totius rationem obtinet, ita esse vno intellectu, nimirum extensivè, perfectiorem anima rationali, vt alio intellectu, videlicet intensivè, sit quid ea imperfectius. At in hoc, quod duorum extremorum alterutrum sit altero perfectius, & imperfectius, æquiuocè, & vt dici solet aliter, atque aliter, nulla esse potest contradiçtio terminorum.

76 Replicabis: ergo homo vt homo, & prout condistinctus à suis partibus erit imperfectior, intensivè saltem, forma equina v.g. cum hæc se ipsa immediatè sentire, appetere, quaquà versum moueri, & mouere possit; nihil autem horum possit immediatè totum illud, quod hominem nuncupamus, sed duntaxat per denominationem quandam satis remotam à corpore, & anima à se distinctis desumptam. Consequens autem quis non videat dignitati hominis non parum derogare.

77 Respondeo: in primis ea perfectio formæ equinæ, proximè supra explicata, vt vt homini non conueniat, aliunde tamen in homine compensatur, imò superatur: per hoc videlicet, quod homo mediatè saltem eas operationes, aliasque perfectiores eliciat, cuiusmodi sunt intelligere, & velle naturaliter, ac supernaturaliter, & vtroque modo Deum, atque entia spiritualia attingere. Sic anima nostra est longè perfectior potentiis animæ equinæ, licet hæc per se, illa verò per potentias distinctas operetur, iuxta probabile plurimorum sententiam: non alia certè ratione nisi quia nostra anima mediatè intelligit, amat &c. Deinde respondeo ad replicam, non improbabile esse animam quæcumque sit, non sentire, neque appetere cum dependentia immediatè à materia, sed potius à toto corporeo, & hoc sensiones, atque appetitiones ab anima effectas simul etiam efficere, & recipere: quo fiet vt homo perfectiones illas sentiendi, & appetendi, aliasque similes æque immediatè, ac forma quævis materialis equi, aut alterius animalis sibi vendicat: Non est ergo cur ab vlla quoad perfectionem superetur.

78 Et quidem totum physicum substantiale, & per se intensivè esse imperfectius, ignobiliusque vt dixi, forma substantiali, qua constituitur, sententia est Aristotelis 7. Metaph. text. 7. & 8. quam cum eo sequuntur Commentator ibidem, & Zimara theoremate 10. atque apud eum Linconiensis. Verba Philosophi loco citato sic habent: *quare si species (id est forma) materia est prior, & magis ens, & ipso, quod ex vtriusque prior erit propter eandem rationem.* Vnde fit è conuerso, quod ex vtriusque, siue compositum, esse posterius materia, & minus ens, quam illam.

79 Respondent tamen primò Scotus in præsentī digressione licet non in principali quæstione nobis contrarius, & Albertus Magn. ac Iauellus, sermonem esse Philosopho de prioritare causalitatis, non verò perfectionis, cum dicit formam esse priorem composito, seu toto substantiali. Contra tamen est, quia Aristot. adducto loco eadem ratione docet, formam esse priorem composito, quo prior est, quā materia: ab hac enim eius prioritare ad illam priorem prioritatem arguit. At formam respectu materiæ docet esse priorè prioritare, non solius causalitatis, sed etiam perfectionis, vt patet ex ea particula, *magis ens*, qua vtriusque comparans formam cum materia: quod autem eam non repetat postea conferens formam cum composito, nihil refert: haud enim nisi breuitatis causa eam ibi omittit, vt perspicuum est, vtque optimè docet P. Suar. cit. disp. 15. Met. s. 7. n. 8. Adice, formam non esse verè causam materiæ: non ergo est iuxta Aristot. prior forma quoad causali-

tatem vllō modo sumptam, nedum solam, sed quoad perfectionem, vt dictum est. Ergo de eadem prioritare perfectionis loquitur, præferens formam composito.

Secundò respondent Alensis, & Soncinas, Philosophum vbi supra, hoc tantum sibi velle formam substantialem, vt est perfectior materia, eatenusque illa prior, ita etiam perfectiorem esse composito: at non simpliciter, sed secundum quid, eo nimirum quod sit simplicior composito, minusque potentialis. Sed hæc etiam expositio reicitur à P. Suarez, vbi supra, mihiq; displicet: quia forma substantialis perfectior absolute, quam materia adstruitur à Philosopho, vt ex eius contextu liquet, vtque concedunt aduersarij: quandoquidem ergò quoad prioritatem perfectionis comparat formam, & compositum inter se, non aliter ac formā, & materiam, sanè non secundum quid, sed absolute, & simpliciter præferre censendus est formā composito.

81 Tertiò respondent Simplicius, ac P. Suar. iterum, atque iterum citatus, versionem antiquam Philosophi, in qua quæ protulimus verba habentur, vel auctoris, vel certè scriptorū imperitia in eo errare, quod ablatiuum, *ipso*, ponat pro accusatiuo, *ipsum*. Et quidè pro particula, *ipso*, ponendum esse accusatiuum, *ipsum*, constat ex versione Argiropoli, quæ talis est: *si forma prior materia est, & magis ens, illud quoque, quod ex ambobus est prius erit ob eandem rationem.* Hæc autem verba, necnon quæ ex antiqua versione producta sunt, si ad normam Argiropolitane versionis emendentur, magis suadent, compositum esse perfectius, priusque forma, quam è conuerso. At neque hæc solutio mihi placet. A principio enim vnde colligit, errare versionem antiquam? Vnde hanc corrigendam esse ex Argiropolitana, & non è diuerso? Deinde ex aliis locis Aristotelis supra pro distinctione totius à partibus coniuncta cum eius, prout comparati ad formam, minori perfectione intensiua, satis constat, antiquæ lectionis verba non pugnare, sed potius consentire cum mente Philosophi, adeoque illa non esse mutanda, sed retinenda.

82 Hactenus solutio decimi argumenti, cōtra nostram, verioremq; sententiam. Aduersus quam vterius etiam argui potest, ex eo quod Christus, sit totum substantiale, & per se, & tamen non realiter distinctum à suis partibus, humanitate scilicet assumpta, & Verbo diuino: neque non etiam ex eo, quod totum accidentale v.g. album haud possit realiter distinguī à suis partibus simul sumptis, & vnitas: ac denique ex hoc, quod talis distinctionis à suis partibus incapax sit totum continuatiuum, siue integrale. Verum hæc argumenta longiorem postulant enodationem, quam vt hoc capite tradi possit, aut debeat: idcirco tribus capitibus sequentibus eam exhibere animus est.

C A P V T VII.

An non solum totum substantiale, & per se creati ordinis, sed etiam ordinis diuini distinguatur realiter adæquatè à suis partibus?

83 CEnseo, posterius hoc totum substantiale non distinguī realiter adæquatè à suis partibus, more illius prioris. Quod sic probo. Christus Dominus est totum substantiale, & per se diuini ordinis: at non distinguatur realiter adæquatè à suis partibus, nempe à substantia Verbi, materia, & anima rationali, earumque vnione assumptis, sed potius in his omnibus formalissimè consistit: ergo, &c. Maior probatur ex decretali Alexandri Papæ III. in Concilio Lateranensi p. 49. cap. 20. vbi hæc habentur verba: *Cum Christus sit perfectus Deus, & perfectus homo, quæ temeritate audent quidam dicere, quod Christus secundum quod*

est homo non est quid? Est ergo iuxta definitionem Alexandri Christus Dominus formaliter quid, siue ens totumve substantiale, ac per se prout est homo ex natura humana, & substantia diuina coalescens, ac proinde quatenus Christus. Et quidem iuxta phrasim Pontificis aliquid esse formaliter quid perinde est, atque esse quidpiam substantiale, & per se, ut ex eo patet, quod e contrario idem sit quidpiam de aliquo dici in quale, & non in quid, ac de illo per accidens predicari, ut omnes fatentur, utque liquet exemplo albi respectu hominis, aliisque id genus. Huc etiam faciunt verba beati Thomae 3. part. qu. 2. art. 6. dicentis, *opinionem, qua ponit in Christo vnionem accidentalem, non esse dicendam opinionem, sed heresim in Concilijs ab Ecclesia damnatam*. Eset autem ea vnio quodammodo accidentalis, si Christus prout homo esset totum per accidens, & non substantiale, ac per se.

84 Porro autem minorem argumenti nostri esse veram, & Christum haud esse aliquid realiter distinctum à collectione humanitatis, & Verbi docet expressis, conceptisque Verbis P. Suarez disp. 36. Metaphys. sect. 3. num. 12. ad finem & tom. 1. in 3. disp. & sect. ibi ab ipso citatis. Ac probatur, quia ob id totum substantiale, & per se finiti ordinis, tanquam quid distinctum pullulat à suis partibus essentialibus, ut eas pro posteriori intrinsecè perficiat, compleatque: at huic fini deseruire non potest totalitas vlla substantialis, & per se ex partibus Christi Domini resultans: talis ergo totalitas ex iis resultans & ab iis realiter distincta est planè comtentia. Id suadetur, quia aut ea totalitas ordinaretur ad perficiendam substantiam Christi, aut ad humanitatis Christi perfectionem. Prius dici non potest: substantia enim Christi, cum sit increata, & diuina, haud potest in tempore perfici per totalitatem vllam creatam sibi unitam. Posterius etiam haud potest sustineri; namque, cum humanitas Christi infinite perficiatur per substantiam Verbi, quæ in illa esse potest necessitas totalitatis eius creatæ, per quam perficiatur?

85 Aliter etiam probari potest minor principalis argumenti nostri: quia scilicet ideo superius à nobis statutum est, totum substantiale, & per se creati, ac finiti ordinis esse realiter distinctum à suis partibus unitis, & simul sumptis, quoniam has oportet per illud subsistere: fieri autem nequit, quin substantia partium totius substantialis, & per se ab iis realiter distinguatur: hæc est potissima ratio distinctionis inter eiusmodi totum, ac partes suas adstruendæ: at ea non procedit in Christo, nec eius à suis partibus distinctionem probare potest, sed potius indistinctionem: haud enim per eam totalitatem resultantem ex substantia Verbi, & humanitate possent ambæ subsistere: tum quia alias in Christo essent duæ substantiæ siue personæ, alia increata, & alia creata, quod est hæreticum; tum etiam quia vna substantia resultaret ex alia, & faceret aliam, ex qua resultaret, subsistere; quo quid magis improbabile, & inauditum? Hucusque nostræ sententiæ circa quæstionem huius capituli titulo præfixam probatio. Ex qua claret, malè à nonnullis argui pro indistinctione reali totius substantialis naturalis à suis partibus, ex eo quod totum substantiale supernaturalis, ac diuini ordinis, nempe Christus à suis partibus realiter non distinguatur, sed potius in iis formaliter consistat.

R. P. Richardi Lyncei, Philosophia, Tom. II.

CAPVT VIII.

Fit satis obiectionibus aduersus indistinctionem realem totius substantialis, & per se diuini ordinis à suis partibus?

86 Obiicies tamen primò contra nostram sententiam. Collectio humanitatis assumptæ, & Verbi diuini non est totum, vnumve per se: sed Christus est totum vnumve substantiale, & per se: ergo Christus non est formaliter, & per identitatem collectio partium suarum simul sumptarum, sed potius quidpiam ab iis realiter adæquatè distinctum. Minor paulò superius manet probata. Maior probatur, primò quia totum, vnumve per se, quale est homo v.g. suapte natura differt à toto per accidens, cuiusmodi est homo albus, aut aceruus lapidum, ut certo certius est: at non in alio ab eo differre potest, quam in eo quod totum per accidens in collectione plurium entitatum inuicem distinctarum consistat, totum verò per se in ea non consistat, sed ex ea resultet, eiusque integritas sit: Collectio ergò plurium partium, & entitatum realiter distinctarum est totum vnumve per accidens, & non per se; ac proinde eiusmodi totius per accidens, & non per se talis rationem obtinet collectio earum partium, quibus constat Christus Dominus.

87 Dices, in eo vtrumque totum differre, quod totum per accidens consistat formaliter in collectione plurium entitatum, vel quæ inter se minimè vniuntur, vel quæ, si vniuntur, altera substantia, & altera accidens est; totum verò per se in collectione plurium substantiarum, quæ inter se verè, & propriè, ac non per meram iuxta positionem vniuntur. Cum ergò collectio partium Christi Domini haud sit substantiæ & accidentis, haud plurium substantiarum minimè unitarum, sanè non erit, cur dicatur totum per accidens, & non potius substantiale, & per se. Verùm hæc solutio non satisfacit: tum quia non assignat rationem communem vniocam totius per accidens ad hoc, & illud totum per accidens, sed rationem æquiuocam, & disunctam: tum etiam, quia, si forma equi, & formæ leonis inuicem physicè vniuerentur, vnam per se formam, aut substantiam, siue, quod perinde est, totum per se non constituerent, sed potius totum per accidens: perperam ergò dicitur, totum per se in collectione plurium substantiarum inuicem unitarum consistere.

88 Secundò probatur maior obiectionis contrariæ primo loco positæ. Nam collectio materiæ, formæ, vniōisq; Petri v.g. & substantiæ, quæ ex iis resultat, haud est totum, siue vnum per se, sed per accidens. A fortiori ergò collectio materiæ, formæ, & vniōis Christi, & substantiæ eius diuinæ, cum sit collectio partium infinite magis distantium, haud erit totum vnumve per se, sed per accidens. Consequentia videtur bona. Probatur antecedens: quia, si ea collectio naturæ humanæ Petri, & eius substantiæ, seu totalitatis resultantis, est totum, siue vnum substantiale, & per se; profectò erit homo: quid enim aliud esse potest? ac proinde Petrus nō erit vnus homo, sed duplex: siquidem eius substantia, seu totalitas ex eius partibus pullulās est homo per seipsam, ac præcisè à quouis alio, ut sæpè superius fassus sumus: deinde collectio partium, quibus constat, & substantiæ, seu totalitatis ex iis emergentis, est etiam homo, hoc ipso quod sit totum substantiale, & per se: at ea collectio, & substantia Petri distinguuntur realiter inadæquatè. Petrus ergò non vnus homo erit, sed duplex saltem realiter inadæquatè, siue, ut aliis terminis utar, sesqui homo, aut homo

hominis dimidium: quemadmodum si in eodem corpore essent duæ animæ rationales, non vnus homo, sed quodammodo multiplex reslaret. Consequens autem est chimericum, & vel tergemini Geryonis fabula fabulosius.

89 Respondeo ad obiectionem hanc, negata eius maiori. Ad primam probationem contrariam dicendum est, totum vnumve substantiale, & per se non in eo differre à toto per accidens, quod hoc in collectione plurium partium, entitatumque, secus verò illud, consistat: nec etiam in eo, quod alterum plures substantias vnitas, alterum verò, aut substantiam, & accidens inuicem vnita, aut plures substantias non vnitas formaliter, & per identitatem complectatur. Vtriusque ergo totius discrimen in eo stat, quod totum, vnumve per se excludat essentialiter, ac per se omnem à se pluralitatem intensiuam partium, hoc est eas partes, quæ simul sumptæ sint intensiue plus aliquid, ac maius perfectiusque quam qualibet earum seorsim sumpta: cum interim vnum non per se, sed per accidentalem pluralitatem partium non respuat, sed potius in ea formaliter consistat. Hinc est, Petrum v. g. (par autem ratio est cuiusvis alterius totius substantialis omnino finiti) esse totum, vnumve per se: quia cum distinguatur ab omni pluralitate partium iuxta superius dicta, certè excludet à se etiam pluralitatem intensiuam proximè explicatam. Atqui collectio humanitatis assumptæ, & Verbi assumptis, quibus Christus Dominus constat, talis est, vt eius præter partes simul sumptæ haud sint intensiue perfectiores altera earum seorsim sumpta, nempe personalitate Verbi: quæ est enim huius perfectio summa, & simpliciter, atque in omni genere infinita, non paritur, Christum, aut collectionem partium Christi esse se intensiue perfectiorem: quid enim summè perfectio potest esse magis perfectum? Proinde ea collectio essentialiter, ac per se excludit à conceptu suo pluralitatem intensiuam partium, & sic non erit totum vnumve per accidens sed per se.

90 Ad secundam probationem contrariam negatæ maioris dicendum est, collectionem humanitatis & substantiæ Petri haud esse totum per se, sed per accidens: alioqui, vt bene obiicitur in argumento contrario, Petrus esset non vnus, sed quodammodo multiplex homo. At idè est, quia talis collectio non excludit, sed potius includit pluralitatem intensiuam partium, cum certum sit, intensiue plus perfectionis esse in substantia Petri, & humanitate simul sumptis, quam in earum qualibet seorsim vsurpata: quæ est videlicet vtriusque finitas, & limitatio. Cæterum hæc ratio non procedit in collectione partium Christi Domini, sed potius opposita: vnde ex eo, quod prior illa collectio sit totum, vnumve per accidens, & non per se, haud benè arguitur, idem dicendum esse de posteriori collectione, nempe ea, ex qua Christus coalescit.

91 Obiicies secundò, si Verbum assumeret plures humanitates, & consequenter non vnus, sed duo Christi existerent, sanè essent omnino similes, haud secus atque iuxta nos duo puri homines in ratione hominis sunt omnino similes, eiusdemque speciei. At vnio vnus humanitatis cum Verbo, & vnio alterius cum illo essent dissimiles, ac diuersæ speciei. Neuter ergo Christus consisteret in collectione partium suarum vnitarum, sed potius alteruter esset totalitas quædam distincta à partibus suis inuicem vnitis, & ex iis resultans: alioqui ambo non essent omnino, & adæquatè eiusdem speciei: qua ratione superius cap. 2. & 3. huius tractatus statutum est à nobis, Petrum, & Pau-

lum non posse esse eiusdem omnino speciei, hoc ipso, quod vniones inuoluerent speciem diuersas.

92 Respondeo, vbi reperitur identitas numerica in adæquata saltem, ibi desiderandam non esse vnitatem, aut similitudinem specificam: vt videre est in personis diuinis, Patre scilicet, filio, & spiritu sancto, quoad naturam diuinam siue deitatem numericè, & realiter identificatis, & tamen relatiue dissimilibus, & quasi specificè diuersis. At, si existerent duo Christi (quod tamen posse etiam diuinitus contingere nonnulli negant) essent numericè idem quoad personalitatem, aut naturam diuinam: quid ergo refert, si non forent specificè omnino similes, sed ex parte diuersi? Cæterum Petrus, & Paulus numericè non identificantur inuicem; nec habent, per quod compensetur eorum dissimilitudo specifica, si qua in iis admittatur: haud ergo censendum est, eos specificè vllatenus differre, sed potius quoad speciem esse omnino, & adæquatè similes. Hinc patet, maiorem obiectionis esse falsam, & eius probationem à paritate Petri, & Pauli omnino similium desumptam nullius esse momenti.

93 Obiicies tertio. Christus est physicè idem, idque omnino, & adæquatè, siue consideretur puer, siue vir triginta, vel triginta trium annorum, & siue viuus, siue rediuius: quemadmodum, iuxta nos, Petrus v. g. est physicè prorsus idem in quocunque statu. At Christus non easdem omnino partes materiæ habuit in eunte ætate, & ætatis suæ progressu: cum vi caloris naturalis necesse fuerit, plures in eo partes materiæ absumi, & alias in locum assumptarum acquiri, & substitui, vt in cæteris hominibus vsuuenit. Probabile etiam est, Christum in resurrectione haud resumpsisse omnem sanguinem, quem habuit, dum viuabat, sed aliquid eius sanguinis, licet non sub forma sanguinis, sed sub alia diuersa mansisse in terris separatim à Verbo, tametsi prius ei fuerit vnitum. Ita P. Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 36. cap. 8. num. 42. & 43. Tum sic: Christus haud posset esse physicè idem omnino, in pueritia, & ætate magis prouecta, & antè, ac post resurrectionem, si formaliter, & per identitatem includeret suam materiam cum reliquis partibus: quippe eius materiæ in iis statibus est quadantenus diuersa, vt visum est. Ergo nequit formaliter, & identicè consistere in collectione partium suarum, sed potius est totalitas ab iis realiter distincta, & ex iis resultans; & sic totum substantiale & per se etiam diuini ordinis non poterit à suis partibus simul sumptis non distinguere realiter adæquatè.

94 Respondeo, Christum aut formaliter, aut certè per eminentissimam quandam æquiualentiam, æquiualentemque eminentiam, semper fuisse, & esse physicè eundem, idque omnino & adæquatè: nec aliud ad perfectionem Christi esse necessarium. Hoc autem optimè sustineri potest, tametsi Christus in diuersis statibus habuerit aliquam diuersitatem in materia prima: nam, cum in quolibet statu esset, sitque idem numero Deus, ac filius naturalis, & in diuinitate contineatur eminentissimè, & per supremam quandam æquiualentiam quidquid est perfectionis in materia, & quauis creatura; certè Christus non solum habuit, habetque in quocunque statu eandem formaliter animam, & diuinitatem, sed etiam eandem numero materiam, aut formaliter, aut per eminentiam explicatam.

95 Cæterum Petrus v. g. dum crescit, non retinet formaliter eandem materiam, quam habuit, quando infans, puerue; nec etiam aliquas eius materiæ partes, cum quibus vixit, ac decessit, postea resurgens formaliter obtinebit: alia verò ex parte, quod ei deperit materiæ formaliter, non manet in eo, nec manebit, per

emi

eminentiam illam, de qua proximè supra: anima enim Petri non est causa materiae Petreae, nec eam eminenter continet, nedum per supremam illam eminentiam supra expositam, & diuinitatis propriam. Petrus ergo non esset formaliter, nec eminenter omnino, & adaequatè idem in diuersis statibus, si in materia, & cæteris suis partibus formaliter consisteret: quod tamen est absurdum. Hinc in forma ad argumentum dicendum est, eius maiorem esse falsam, quoad illam particulam, *quemadmodum*, & similitudinem in ea latentem: haud enim eodem modo, sed diuerso Christus, & Petrus habent identitatem numericam in omni statu, vt patet ex dictis. Atque ideo Christus potest esse omnino, & adaequatè idem in omni statu, esto materiam suam, & reliquas partes formaliter, & identice includat: cum interim Petrus idem omnino in quocumque statu non possit esse, nisi à suis partibus realiter distinguatur. Vnde etiam fit, minorem argumenti esse falsam, & negandam.

96 Obiicies quartò. Christus, vt homo, non est materia, & anima rationalis formaliter, & per identitatem: at, si quo pacto esset vtrique illa pars formaliter, & identice, non certè, nisi vt homo: constat enim illum, vt Deum haud posse cum eis identificari: haud ergo absolute potest cum illis identificari, aut in his formaliter consisteret, ac proinde nec in earum, & personalitatis diuinæ collectione. Consequens ergo est, vt totum per se diuini ordinis, cuiusmodi est Christus, sit quædam integritas ex partibus suis resultans, & ab his realiter adaequatè distincta. Probatum autem obiectionis primum, ac principale antecedens, ex P. Vasquez tom. 1. in 3. p. disp. 14. cap. 2. num. 3. 2. quia si Christus, vt homo, esset formaliter corpus, & anima, siue spiritus, non esset potior ratio, cur in serie prædicamentali, sub corpore potius quam substantia spirituali collocaretur, vt homo est: imò potior esset ratio, ob quam sub substantia spirituali, & non sub corpore poneretur: qua ratione, cum Christus iuxta nos sit formaliter aliquid viuens, videlicet anima, & aliquid non viuens, scilicet materia, tamen in serie prædicamentali sub viuento, & non substantia vitæ experti collocatur. Atqui in serie prædicamentali Christus, vt homo, sub corpore ponitur; in hunc modum: substantia, corpus, viuens, animal, homo, hic homo, nempe Christus. Asserendum ergò necessariò est, Christum, vt hominem, non esse idem formaliter cum corpore, & anima, sed totum quoddam ab illis adaequatè distinctum: quod, cum corpus, siue quid corporeum, ac viuens sit, mirum non est, si sub illis tantum, & non sub oppositis generibus in serie prædicamentali constituatur.

97 Hoc argumento vtitur P. Vasquez vbi supra ad probandam distinctionem realem, non inadæquatam, vt aliqui malè putant, sed adæquatam totius substantialis finiti, Petri, v. g. à suis partibus. Cæterum mihi elumbe videtur. Siquidem Christus, vt homo, continetur sub corpore substantiali completo, siue animato, aut, quod perinde est, sub substantia corporea completa, & animata: quis autem non videat, eum, vt hominem, contineri posse sub tali substantia, tamen, vt homo, non tantum materiam, sed etiam spiritum, siue animam rationalem per identitatem inuoluat? quasi verò anima spiritualis non sit verè anima, aut tollere possit ab eo, quod illam identice includit, ne sit substantia simpliciter animata. Et quidem, vt potest contineri sub viuento, quamuis materiam primam formaliter includat, quia nimirum materia prima ita secundà se præcisè non viuit, vt cum anima constituat viuens completum, ita similiter, tamen includat for-

maliter, & identice animam rationalem, quæ spiritus est, non corpus, poterit tamen comprehendi prædicamentally sub corpore completo, nimirum quia hoc potest anima quantumuis spirituali constitui. En cur Christus, vt homo, etiam formaliter, & identice inuoluens animam spirituales, tamen possit comprehendi in serie prædicamentali sub corpore vtique completo.

98 Porro cur non possit sub spiritu, aut substantia spirituali prædicamentally comprehendi, facile est ex dictis: cum enim ita comprehendatur sub substantia corporea, aut corpore, qui fieri potest, vt simul spiritui, seu substantiæ spirituali subiiciatur? nisi verò idem secundum idem possit esse sub diuersis, oppositisque generibus: quo nihil magis falsum. Adde, spiritum completum consistere in independentia à corpore, & eius exclusione, vt omnibus est in confesso: quis enim non iuxta habet spirituale, & incorporeum? At corpus per independentiam à spiritu, eiusque exclusionem non est conuerso explicandum: talis enim explicatio circulus vitiosus esset: cum ergo Christus, vt homo spiritu incompleto, nempe anima rationali, formaliter, aut identice ita constet, vt simul includat eodem modo materiam corpoream, sanè haud poterit prædicamentally poni sub substantia spirituali completa, quippe, vt dictum est, corporeitatem omnem à suo conceptu formaliter excludente.

99 Obiicies quintò. Christus non est totum substantiale, & per se. Quamquam ergò Christus non distinguatur à suis partibus simul sumptis, & vnitis, haud propterea consequens est, vt totum aliquod substantiale, & per se etiam diuini ordinis distingui debeat à collectione partium suarum. Antecedens suadetur primò; ex eo quod communiter dici solet; *ex duobus entibus in actu non fit vnum per se*: aut enim huius axiomatis sensus est, quem præcisè præferunt verba, vt interpretantur Thomistæ: & sic non potest Christus esse vnum, totumve per se: quo pacto, iuxta præfatos Authores, si materia, & forma hominis v. g. habent proprias existentias, & sunt duo entia in actu, certè humanitas ex eis resultans non poterit esse totum, vnumve per se: Aut eius paræmiae sensus ex parte latet, & subaudiri in ea debet aliquid, vt idem valeat, ac si dicamus, ex duobus entibus in actu completo totum, vnumve per se non posse resultare: & sic etiam videtur, Christum haud posse esse totum, vnumve per se; cum subsistentia Verbi, qua constat, sit ens actu completum, talèque etiam sit humanitas à Verbo assumpta.

100 Secundò probatur eiusdem obiectionis quintæ antecedens: quia illud totum nequit non esse per accidens, cuius vna pars se habet per accidens respectu alterius: at Christi pars quæuis se habet per accidens intuitu alterius: ergo Christus est totum per accidens, & consequenter non substantiale, & per se. Minor probatur: quia quæ ad se non ordinantur primario, ac per se nequeunt non se habere per accidens inuicem: sed partes Christi ad se non ordinantur primario, & per se: nec enim subsistentia Verbi potest habere pro fine ad quem primario, ac per se ordinetur, humanitatem Christi, aut aliam creaturam; pro fine, inquam, cui, siue ad cuius perfectionem destinetur, de quo solo fine sermo est: ita enim creaturam aliquam esse finem Verbi, aut alterius personæ diuinæ, in qualibet esset maxima imperfectio: haud etiam humanitas assumpta ordinatur per se, aut ex natura sua ad Verbum, sed ad propriam subsistentiam: quippe quam solam naturaliter deponit, & in communionem vnus suppositi vocat. Proinde, &c.

101 Respondeo negato antecedenti. Ad primam eius probationem dicendum est, eius parcmia, ex duobus entibus in actu, &c. sensum esse, ex duobus entibus in actu non posse fieri vnum ens per se, quod in iis formaliter, & per identitatem consistat; id tamen intelligendum esse, & tanquam verum admittendum, tum solum, quando entia in actu simul sumpta excedunt intensiue perfectionem totius: atque hac de causa collectionem materiae, & formae vnitarum inuicem non esse ens vnum per se formaliter, sed tantum eius principium. Caterum collectio partium Christi non excedit intensiue perfectionem vnus partis, qua constat, nempe Verbi: non est ergo cur talis collectio, quamvis sit duorum entium in actu, non sit vnum, totumve per se. Adice, collectionem partium Christi non esse duorum entium in actu vltimè completo: propterea, quod humanitas Christi haud sit per se vltimò completa, sed vltius indigeat compleri per subsistentiam propriam aut alienam: vnde ex hoc etiam capite Christum & collectionem partium eius excludi posse à ratione entis, vniúsve per accidens, & inter entia per se debere numerari.

102 Ad secundam probationem negati antecedentis dicendum est, vnus per se perfectatem sitam non esse in relatione vnus partis ad aliam, tanquam ad finem primarium, sed in eo, quod vnum per se, excludat se ipso à conceptu suo omnem pluralitatem intensiuam partium: talis autem exclusio reperitur in Christo: quid mirum ergo, si sit vnum per se, vtriusque eius partes non ordinentur ad se inuicem, nec pro fine principali habeant se mutuo perficere, aut afficere. Obici etiam potest sextò contra nostram sententiam hoc capite propositam, partes Christi Domini eum constituere: nihil autem se ipsum posse constituere, aut intrinsecè causare: partes ergò Christi non esse formaliter Christum, nec hunc illas, sed totalitatem ab illis realiter adequatè distinctam. Verum ad hoc argumentum in simili fiet satis cap. sequenti.

CAPVT IX.

An totum accidentale distinguatur realiter adequatè à suis partibus.

103 **N**on distingui, à fortiori putant omnes, qui talem distinctionem negant inter totum substantiale, & suas partes. Quamquam autem aliqui eorum, qui totum substantiale, praesertim verò finitum, & omnino creatum, à suis partibus distingui putant, eandem etiam distinctionem adstuant, inter totum accidentale, non ex aggregatione, sed ex vnione physica resultans, cuiusmodi est album v.g. & eius partes; at longè probabilius est, diuersimodè de vtroque illo toto, substantiali scilicet, & accidentali, quoad eorum à partibus suis distinctionem, philosophandum esse, ac estò prius sit capax distinctionis, qua de loquimur, posterius tamen, nempe accidentale, esse eius omnino incapax. Ita Vasquez citata disp. 19. tertiæ partis c. 2. num. 26. ibi: *de effectu igitur formæ accidentariae in subiecto alio modo philosophandum existimo, quam de effectu formæ substantialis in materia: nam forma accidentaria nihil aliud tribuit subiecto, quam seipsam per modum illum inherens; & hac ratione album nihil aliud est quam albedo inherens subiecto, ratione cuius inherens ipsum subiectum redditur album absque villo alio effectu ab ipsa albedine derivato.* Et inferius n. 32. ibi: *hinc etiam intelliges, quia de causa dicatur, ex sub-*

iecto, & accidenti fieri vnum per accidens; videlicet, quia non sit tertia quadam entitas in aliquo predicamento constituta, habens suas proprias passiones, & operationes, & quare ex materia, & forma fiat vnum per se; quia scilicet tertia quadam entitas constitatur constituta in aliquo predicamento, habens proprias passiones, & operationes. Ita etiam Fonseca lib. 5. Metaph. c. 2. quaest. 2. sect. 2. ibi: *nihil aliud est compositum accidentale, quam, accidens & subiectum inter se coniuncta.* At ex formis substantialibus, & materiis resultat vera essentia rei naturalis, quae ponitur sub genere substantia corporea in predicamento substantia: unde necesse est fateri, aliud esse compositum substantiale, aliud materiam, & formam copulatas inter se. In hac eadem sententia sunt plerique eorum, quos supra cap. 1. citauimus pro distinctione reali totius substantialis physici, ac naturalis à suis partibus.

Probatur autem primò: quia totum realiter distinctum à partibus corporis substantialis physici, atque completi est integritas quadam, per quam tales partes subsistunt; ad idque ex iis simul sumptis & vnitis resultat, vt eas faciat subsistere. At totum accidentale, v.g. album, quatenus accidentale est, non est subsistentia, cum accidentium non tam sit subsistere, quam inherere. Eiusmodi ergò totum non debet à suis partibus, more totius substantialis physici realiter distingui. Atque hinc liquet, malè aliquos ex totius accidentalis indistinctione à suis partibus arguere ad indistinctionem inter totum substantiale physicum, & naturale, suarumque partes: quæ enim ratio distinctionis in hoc posteriori toto procedit, ea certè locum non habet in illo priori. Ex dicendis etiam hoc capite vltius constabit, quam elumbe sit idem argumentum.

Probatur secundò nostra sententia: quia relatio prædicamentalis, quæ est quali totum accidentale ex fundamento, & termino resultans, haud distinguitur realiter ab illis, sed potius in iis realiter consistit, vt in Metaphysica latè demonstrabitur. Et quidem, si referri vnum ad aliud per similitudinem, æqualitatem, inæqualitatem, aut alia ratione, foret modus quidam realiter distinctus à fundamento, & termino; ad hoc etiam, vt fundamentum referri posset ad ipsum modum relationis, eique simile, aut dissimile, æquale aut inæquale denominari, sanè vltiori modo opus esset: & præter hunc secundum modum, alio tertio, eadem de causa: & sic in infinitum. Quidni ergo album, & quoduis aliud totum accidentale non relatiuum, sed absolutum possit in suis partibus realiter consistere, & cum iis identificari? Quod enim totius accidentalis absoluti partes inter se physice vniantur, in eoque differant à partibus relationis, fundamento scilicet, & termino, non refert: vt manifestum est ex Christo, qui non distinguitur à suis partibus, tamen ex verè inter se vniantur: necnon etiam ex eo, quod vnio physica, & moralis partium quarumvis ex conceptu suo tantum opponatur identitati partium inter se, quippe quas componit inuicem; non verò earum identitati cum toto composito, cum quo partes suas non vnit, neque componit.

Probatur tertio nostra sententia: quia si album v.g. 106 ex homine, & albedine inuicem vnitis resultans foret aliquid ab iis realiter adequatè distinctum, profectò esset, & non esset forma. Non esset quidem forma: quomodo enim ex vna forma oriri potest alia, tanquam à causa formali? an non ita esset procedere in infinitum? Deinde esset forma, quia esset purum putum accidens, nihilque haberet substantiæ: ergò inhereret: nihil enim, omnium concessione, magis est de

de ratione accidentis, prorsus talis quam inhaesio: inhaerere autem nulli, nisi formae, potest competere, sicut e contrario subesse subiecti solius proprium est: ergo tale totum accidentale realiter distinctum à suis partibus eo ipso foret vera forma.

107 Dices tamen, hoc eodem argumento probari, totum substantiale, de quo tractamus, distinguere non posse à collectione partium suarum: quippe quia totalitas illa substantialis foret vera forma, quod tamen est contra conceptum totalitatis, siue compositi. At facile occurri potest huic obiectioni, si dicatur, formam esse actum incompletum alicuius subiecti: totalitatem autem substantialem, quam ex partibus essentialibus corporis naturalis asserimus resultare, esse quidem actum, at non incompletum, sed completum: proinde, licet pro posteriori actuet, & copleat partes, ex quibus resultat, non propterea esse posse formam. Enimvero, si album esset quid distinctum realiter adaequatè à subiecto, & albedine, sanè esset quid incompletum: nam, cum foret accidens, necessariò deberet inhaerere: quod inhaeret autem est ens incompletum: alioqui non esset, cur albedo in abstracto, quantumvis inhaerens, non posset dici ens completum: tum etiam, quod subsistit aut suppositum est, nequit eo ipso non esse ens completum: ergo è diuerso quod inhaeret, nequit non esse ens incompletum: ac proinde, ut dictum est, album adaequatè distinctum à suis partibus, propter inhaerentiam, quam, quia accidens est, sibi vendicaret, haud posset non esse ens incompletum, sicut oportet, ad hoc ut esset vera forma eius subiecti, cui pro posteriori adueniret. Quod ergo attinet ad rationem formae, manifesta est inter album istiusmodi, & totum substantiale, disparitatis ratio: atque adeo instantia facta nulla est.

108 Probatur quartò nostra opinio: quia album illud, quale à partibus realiter adaequatè distinctum, comminiscuntur aliqui, aut immediatè videtur, congregatque visum, cui obicitur, aut potius immediatè videri, & visum congregare est proprium solius albedinis in abstracto: si illud non videtur, nec congregat visum immediatè, sed tantum remotè: non erit ergo album formaliter: radicalis enim visibilitas non sufficit ad album formaliter tale: alioqui omnis substantia materialis, earum quae sub lunæ cauo continentur, esset per se formaliter alba; quo nihil absurdius. Sin autem immediatè videtur, & visum dissipat, haud potuit non esse albedo: hæc enim est accidens immediatè visibile, & disgregatiuum visus in praesentia lucis: eo autem ipso, quod sit albedo, perperam dicitur esse totum accidentale distinctum adaequatè ab albedine, & ex ea subiectoque resultans: quomodo enim potest albedo ab albedine distinguere, ab eave resultare?

109 Quintò tandem suadetur nostra, ac verior sententia ex mysterio Eucharistiae: nam post consecrationem panis omnia eius accidentia purè talia manent: ut colligitur ex verbis Ecclesiae in festo corporis Christi desumptis ex opusculo 57. B. Thomae ibi; *accidentia autem sine subiecto in eodem subsistunt*: at non manet post consecrationem denominatio albi resultans ex substantia panis, & albedine: id enim esset, posse dari totum sine partibus suis: talis ergò denominatio, ac totalitas non est accidens purum, & ab omni substantia distinctum; sed potius est aggregatum substantiae, & accidentis, etsi dicatur absolute denominatio accidentalis, eo quod denominationibus plerisque commune sit, ut sequantur debiliorem partem. Nec valet, si intes unionem albedinis v.g. cum substantia panis esse accidens, & tamen non manere

post consecrationem: haud ergo adeò vniuersè verum est, accidentia omnia panis post consecrationem manere: non inquam hoc valet: namque, si sermo sit de accidentibus absolutis, & non modalibus, id, quod diximus, in vniuersum verum est; nec nisi temerè negari potest: at effectus formalis albi est accidens absolutum, & non modale, ut fatentur omnes: si ergo est accidens purum, & non identificatum vllatenus cum substantia panis, sanè hac destructa haud poterit non subremanere in Eucharistiae sacramento.

C A P V T X.

Repelluntur oppositiones, contra indistinctionem totius accidentalis à suis partibus.

O Biectiones primò: totum per se distinguitur realiter adaequatè à suis partibus simul sumptis, & unitis: at totum ex subiecto, & accidenti physice, & proprie unitis, cuiusmodi est album v.g. est totum per se, non verò per accidens, veluti acerrus lapidumitale ergò totum haud poterit non sortiri distinctionem realem adaequatam à suis partibus. Respondeo, concessa maiori, & negata minore: quod enim compositum ex subiecto, & accidenti rationem totius per accidens sibi vendicat, & ex ipsa totius per accidens notatione manifestè patet, & id tuerentur B. Thomas in 3. dist. 7. q. 1. art. 1. quem sequuntur Onna lib. 1. phyl. q. 6. art. 6. versu, *notandum quod*, Vasquez, & Fonseca ad huius capitis initium citati, ac ceteri communiter Doctores.

Obiectiones secundò: duo alba eiusdem omnino speciei sunt, aut semper, aut certe quando subiecta, quae afficiuntur albedine, specificè differunt: at non essent eiusdem prorsus speciei, si alterutrum in ratione albi inuolueret unionem albedinis cum subiecto: quippe talis unio in vno, & altero haud potest esse specificè eadem, ut in superioribus sapientie dictum est: neutrum ergò unionem partium suarum, adeoque nec partes suas unitas per identitatem inuoluit, sed potius ab iis realiter adaequatè distinguitur. Maior obiectionis probatur, quia per nos duo homines sunt omnino & adaequatè eiusdem speciei: quidni ergo & duo alba?

Respondeo tamen negata maiori. Ad cuius probationem dicendum est, esse multas substantias completas omnino, & adaequatè similes, nempe Angelos eiusdem speciei infirmos: hi enim vnde, quod ex capite possunt habere diuersitatem specificam inadaequatam: non enim ex unionibus inter eorum materiam, & formam: haud namque materia etiam spiritali, & forma constant: non etiam ex unionibus inter eorum subsistentiam, & naturam: cum in illis non distinguatur natura, & subsistentia. Et quidem non repugnare saltem, Angelos ex subsistentia & natura minimè compositos, mihi exploratissimum est. Quod si Angeli aliqui omnino & adaequatè eiusdem speciei existunt, aut certe possibiles sunt, mirum esse non debet, si de hominibus idem adstruatur, videlicet quod adaequatam habeant inter se identitatem specificam. At nulla sunt accidentia completa, siue composita accidentalia omnino, & adaequatè similia, aut saltem de quibus id constet. Negandum ergò est, ealem similitudinem interesse inter duo alba, negandumque, tametsi duo homines sint omnino, & adaequatè similes, atque eiusdem speciei.

Dici etiam potest ad eandem probationem negata maioris, in hoc conuenire debere tota substantia, & accidentalia, quod alterutrum eorum sit omnino,

& adæquatè simile alteri eiusdem generis siue rationis, nimirum homo homini, & album albo, simile inquam, siue in abstracto, siue in concreto: homo autem in abstracto sumptus, siue humanitas nequit esse omnino similis alteri, quæ est vnionum vtriusque diuersitas specifica, superius toties inculcata: ergo homo, in concreto sumptus, adæquatam illam similitudinem, respectu alterius, potest, debetque sortiri. Cæterum album in abstracto, siue albedo respectu alterius adæquatam sortitur conuenientiam, & similitudinem specificam: non est ergo, cur, prout sumitur in concreto, & habet rationem totius accidentalis, dici debeat omnino & adæquatè eiusdem speciei cum altero. En, vt ex similitudine adæquata inter homines ad eandem inter alba non bene arguatur.

114 Obiicies tertio: forma accidentalis est perfectior toto, seu composito accidentali: at, si hoc non esset quid distinctum à suis partibus simul sumptis, sed potius omnes per identitatem includeret, haud posset vna eius pars, nempe forma, eo esse perfectior: quomodo enim, quod totam perfectionem vnus partis, & insuper perfectionem alterius secum habet identiticas, potest esse imperfectius vna parte sua, aut, quod perinde est, finire, vt pars aliqua sit ipso perfectior: Ergo &c. Maior suadetur ei Aristotele: nam 7. Methaphys. text. 8. docet apertè formam esse perfectionem composito, ibi: *quare, si species materia est prior, & magis ens, & ipso, quod ex vtriusque, prior erit, propter eandem rationem.* Quod autem loquatur, de forma, & composito accidentalibus, patet ex iis, quæ textu 7. præmittit, ibi: *dico autem materiam quidem es, formam autem figuram speciei, quod autem ex his statuum totam.* Quis autem non videat, statuam esse compositum accidentale, & formam eius artificialem esse similiter non substantialem, sed accidentalem?

115 Respondeo, negata obiectionis maiori. Ad eius probationem dicendum est, Philosophum, dum præfert formam composito, sermonem habere de forma, & composito, substantialibus, & per se: vt manifestè constat ex antecedentibus, & consequentibus, ad verba ex eo prolata; neque non ex interpretum omnium communi consensione. Nec refert eum vt exemplo statuæ ex ære factæ, & formæ artificialis statuam componentis, quarum altera est compositum accidentale, & altera, accidentalis forma: id enim exempli ab eo ponitur, ad explicandum, quid sit forma substantialis, & compositum, de quibus principaliter agit, & quorum priorem illam posteriori præfert. Scitè Angelicus præceptor lib. illo 7. met. in textum 7. in quo versamur. *Exemplificat autem hic (supple Philosophus) membra in artificialibus, in quibus es est vt materia, figura, aut forma speciei, id est dans speciem. statua compositum ex his. Quæ quidem exemplificatio non est accipienda secundum veritatem, sed secundum similitudinem proportionis. Figura enim, & alia formæ artificiales non sunt substantiæ, sed accidentia quadam. Sed quia hoc modo se habet figura ad æs in artificialibus, sicut forma substantialis ad materiam in naturalibus, pro tanto videtur hoc exemplo, vt demonstret ignotum per manifestum.* En nostram explicationem Philosophi expressè traditam à B. Thoma.

116 Obiicies quarto: partes albi vnitè illud verè causant: at nihil compertius, quam ad cauandum requiri distinctionem realem inter causam, & effectum; nec posse aliquid causare seipsum, sed potius aliud quidpiam à se: partes ergo albi ab illo distinguuntur, etiam pro vt inuicem vnitè. Maior probatur: quia partes albi, qua ratione dictum est usurpatæ, illud componunt, constituuntque: componere autem, siue con-

stituere, est causare: ergo, &c. Id suadetur: tum quia componi, & constitui est dependere, & causari, siue posterius natura esse: vt patet ex B. Thoma 1. p. q. 3. art. 7. corp. ibi: *omne compositum est posterius suis componentibus, & dependens ex eis*: tum etiam, quia causa diuiditur ab omnibus Philosophis in intrinsecam, & extrinsecam; quæ certè in eo solum differre possunt, quod causa intrinseca componendo causet, secus verò extrinseca: componere ergo est aliquo modo verè causare: tum denique, quia forma, siue substantialis, siue accidentalis, non est causa formalis subiecti, vt superius in loco manet demonstratum: ergo solius compositi: at cur huius, potius quam subiecti esset causa, nisi quia componit, & constituit compositum, non verò compositionis subiectum: componere ergo quomodocunque est verè causare.

117 Respondebit fortasse aliquis, non ambas partes albi inter se vnitas, sed vnā solam, nempe albedinem, illud constituere, ac per consequens causare: tum quia id solum constituit album, quod denominat album: sola autem albedo propriè album denominat: tum etiam, quia quod constituitur album non constituit album: paries autem constituitur, ac fit verè albus per albedinem: nõ ergo potest eam denominationem constituere, aut causare. Ex quo fit, partes albi copulatas ab illo distingui non debere, quippè quæ illud non causant, neque constituunt; tantumque albedinem, quæ eius intrinseca, & formalis causa est, ab eo non esse non posse realiter inadæquatè distinctam. In toto verò substantiali, & per se longè aliter se rem habere: siquidem nec sola materia hominis homo constituitur, aut homo dici potest: hæc enim propositio, *materia est homo*, vera non est, sicut hæc, *paries est albus*; nec etiam, sola forma hominis hominem constituit, & denominat, vt certo certius.

118 Verum imprimis causa formalis, & causa materialis sunt extrema correlatiua, haud secus ac materia, & forma: quomodo ergo potest albedo esse causa formalis albi, quin paries sit eius causa materialis: ambæ ergo partes albi, & non vna sola, illud causant. Rursus paries communicat, ac dat seipsum albo: illud ergo simul cum albedine causat, constituitque. Nec verò parietem constitui album obstat, quominus constituat se album; haud secus ac cognitio reflexa simul cognoscit, & cognoscitur: mille alia id genus. Nequaquam etiam interest, solam albedinem denominare album: nam constituere latius patet, quam denominare, inueniturque in quouis conceptu obiectiuo se per identitatem communicante alicui composito, siue ita se ei communicet per modum formæ denominantis, siue per modum solius subiecti.

119 Alij respondent, inter causas intrinsecas, & effectum ab eis resultantem non debere dari distinctionem realem; soliusque causæ extrinsecæ proprium esse, vt à suo distinguatur effectus: quare partes albi, esto simul sumptæ, & vnitè illud causent, ab eo non distingui realiter: quippè quia illud non causant extrinsecè, sed intrinsece duntaxat, atque instar componentium. Ita Pereira lib. 5. Philosophiæ quæst. 3. in responsione ad 5. Cabero tractat. 1. physic. dub. 3. disputat. 6. & Dominicus Soto in 1. quæst. 3. ad 1. & alij.

120 Enimverò difficillima mihi videtur hæc solutio. Quid enim difficilius intellectu, quam aliquid verè posse causare seipsum, esse prius natura seipso, idque immediatè, & proximè: An non relatio causæ etiam intrinsecæ ad effectum, iuxta ipsos aduersarios, est relatio realis, ac prædicamentalis, ad quam requi-

requiritur proculdubio distinctio realis: Nōne personalitates diuinæ sibi immanent, ac sunt intrinsecæ per circuminfectionem, iuxta omnes Theologos? & tamen vna nequit esse principium reale alterius, sine reali vtriusque distinctione. Similiter ergo in præfenti, &c.

121 Præterea, si aliquid intrinsecè causare, seu constituere, aut componere seipsum potest, non video, cur Deus compositionis veræ, & realis incapax sit, aut cur natura diuina, seu Deitas in abstracto seipsam non possit componere. Quod enim collectio formalitatum, quibus Deus, aut Deitas constat, ab eo non distinguatur realiter, non obstat in aduersariorum principiis. Quod item eæ formalitates inter se non distinguantur realiter, haud etiam obesse potest: magis enim videtur esse de ratione causarum quarumvis, ut ab effectu suo distinguantur, quam ut inter se sint distinctæ: causæ autem intrinsecæ, iuxta eos quibuscumque disputamus, haud distinguuntur ab effectu suo: ergo nec ita debent distingui inter seipsas: ac proinde non erit, cur formalitates Dei, aut naturæ diuinæ nequeant esse alterutrius verè causæ intrinsecæ, siue partes componentes: quo tamen nihil absurdius.

122 Melius ergo respondetur cum Patribus Suarez, Rubio, Hurtado, & aliis non paucis scholasticis, partes albi v.g. collectiue sumptas, non distingui vllatenus realiter ab illo; at, si diuisiue sumantur, ab eo distingui realiter inadæquatè: hanc autem distinctionem realem sufficere ad genus causæ intrinsecæ: proinde præfatas partes albi, posteriori modo, nempe diuisiue sumptas, posse, & debere album intrinsecè causare; tantumque collectim vsurpatis haud posse respectu illius eam exercere causalitatem: quod verò non exerceant, nobis non obesse: quippe qui collectionem partium solius compositi substantialis, ac per se ordinis finiti asseruimus ab illo esse realiter adæquatè distinctam, eiusque veram causam.

123 Verum contra hanc nostram solutionem dices, vnionem, & diuisionem opponi: partes ergò albi esse vnitas non est eas sumi diuisiue, sed potius eas ita non posse sumi: at non nisi prout vnitæ causare possunt intrinsecè album ex iis compositum, & resultans: illud ergo diuisiue sumptæ non causant intrinsecè. Respondeo, vnionem partium albi, aut cuiusvis alterius compositi, opponi quidem earum diuisioni physicæ, seu separationi reali, secus verò illarum diuisioni Logicæ, siue distributioni, qua scilicet dicitur de hac parte v.g. de albedine seorsum sumpta, quod causet intrinsecè album, & de pariete, seorsum & in alia propositione, quod similiter illud causet; in hunc modum; albedo est causa intrinseca albi, & paries est causa intrinseca albi, & vnio illorum est causa ut quò, siue causalitas actiōis intrinseca albi: quin propterea verum sit vna enuntiatione dicere, albedo, & paries, & vnio sunt causa intrinseca albi: haud enim sunt eius causa, sed ipsum album. Quocirca partes albi prout vnitas, & non aliter illud intrinsecè causare, non obstat, quominus distribui possint, ac prout distributiue, seu diuisiue acceptæ album causare.

124 Dices iterum: nec sola albedo, nec solus paries, aut vnio causat intrinsecè album: ergo albedo, & paries, & vnio illud intrinsecè causant: omnes ergò partes illud ita causant: ac proinde collectiue sumptæ non possunt illud non causare: haud secus ac si omnes homines, qui sunt in foro, currant, fieri nō poterit, quin eo ipso homines, qui sunt in foro, collectiue sumpti currant. Respondeo, ut neque de sola albedine, neque de pariete solo, aut vnione dicatur causare intrin-

sece album, satis est, quod omnis pars albi illud causet: omnem autem albi partem illud causare verificatur sufficienter, per descensum copulatiuum, quo non termini, sed propositiones necti solent, per eum, inquam, descensum hoc modo factum; & *albedo causat album, & paries causat album, & vnio suo modo*. Proinde non est necesse ad id, ut nulla pars albi sola illud causet, quod descensu copulato dici, & enuntiari possit; *albedo, & paries, & vnio, siue omnes partes albi illud intrinsece causant*.

Et quidem non esse id necesse, manifesto confirmatur exemplo: siquidem nec de solo instanti A. æternitatis à parte post verificabitur præterisse aliquando, nec de solo instanti B. nec de alio vllò: & tamen non propterea verum vnquam erit, quod omnia collectiue sumpta præterierunt. Similiter ergo in præfenti, &c. Ob id autem replicam factam suspicor aliquos valde implicare, quia non animaduertunt ad prædictam distinctionem, inter descensum copulatiuum, & copulatum, quæ quidem est apertissima, & à nemine Dialecticorum, quod sciam, reuocata in dubium.

Dies vltimus. Datur aliqua causa adæquata intrinseca albi: at albedo non est causa eius adæquata intrinseca, nec paries est eius causa adæquata intrinseca, nec vnio: ergo albedo, & paries, & vnio illud intrinsece causant, ac proinde eiusmodi partes collectiue sumptæ illud adæquatè causant: quo pacto Apostoli Dei collectiue tantum sumpti sunt duodecim, quia nec de Petro dici potest esse duodecim Apostolos, nec de Andrea, nec de Iacobo, &c. tantumque de illis vna propositione enuntiari potest esse duodecim, in hunc modum: Petrus, & Andreas, & Iacobus, &c. sunt duodecim. Maior autem replicæ suadet, quia causa inadæquata respicit ex conceptu suo causam aliquam adæquatam, ad eamque velut eius pars essentialiter refertur: quare fieri non potest, ut Deus v.g. sit causa inadæquata caloris, & eius etiam causa inadæquata sit ignis, quin ex Deo, & igne confletur, vna causa adæquata caloris: at albedo est causa inadæquata albi, & paries etiam, vnioque est causa eius inadæquata: in illis ergò reperitur necessario causa aliqua adæquata intrinseca albi, quæ vel de singulis eorum dicatur, vel simul de omnibus. Tum etiam, album est adæquatus effectus intrinsecus suarum partium, integrumque compositum: effectus autem adæquatus, & causa adæquata sunt correlatiua: ergo albi est aliqua causa adæquata intrinseca, uti in maiori propositione constitutum est.

Fateor hanc replicam esse satis difficile. Ad illam tamen respondeo, cum P. Hurtado in vberiori editione disp. 6. phys. sect. 1. §. 12. & sequentibus, maiorem eius propositionem (qua adstruit, albi esse aliquam causam adæquatam intrinsecam) debere negari, ac reici vt falsam. Verius enim est, solius compositi substantialis, & per se finiti ordinis dari causam adæquatam intrinsecam. Prior autem negatæ maioris probatio non conuincit. Etenim esse causam adæquatam ex pluribus inadæquatis coalescentem in eo positum est, quod collectio aliqua principiorum causet effectum quendam: cum igitur, iuxta dicta, & demonstrata superius non verificetur de collectione albedinis, parietis, & vnionis causare album, sed potius esse ipsum album, idque quantumvis quæuis earum partium sit causa inadæquata albi; sanè mirum non est, quod, non obstante causalitate inadæquata singulis conueniente, haud possint omnes collectiue sumptæ album causare adæquatè intrinsecè.

Itaque

128 Itaque alterutra earum partium est causa inadæquata intrinseca: non quia continetur in aliqua causa adæquata eius generis, sed quia est causa intrinseca, & non adæquata, tantumque absens ab eo quod sit causa intrinseca adæquata, ut ne cum alia comparte & causa inadæquata possit causam intrinsecam adæquatam constituere. Quod autem nec Deus sit causa inadæquata caloris, nec ignis, quin ambo sint eius vna causa adæquata, hoc solum arguit, in omnibus, aut certe plerisque causis extrinsecis, non posse plures earum esse inadæquatas, absque eo quod vnam adæquatam constituent: cuius ratio est, quia nulla potest esse repugnantia, in eo quod vniantur quodammodo ad vnam causam adæquatam constituendam: cæterum cause intrinsece inadæquate totius accidentalis vni in ratione cause adæquate intrinsece, haud possunt: ita enim eas vniri est collectiue sumptas causare compositum; quod tamen, propter earum identitatem cum illo à nobis probatam, omnino repugnat.

130 Porro negata à nobis maioris posterior probatio efficax non est: album enim dicitur integrum adæquatū; compositū, aut, quod iuxta est, effectus intrinsecus, & adæquatus suarum partium, non quod ab iis, ut à causa adæquata procedat, sed quia non aliud compositū accidentale, aliūve effectus intrinsecus ex iis diuisione sumptis resultat: nouum enim, absurdūve non est, id dici adæquatē tale, quod vnice est tale, siue præter quod nihil aliud habet rationem talis: qua ratione, locus adæquatus corporis v.g. dicitur is, præter quem non occupat alium: eoque sensu, & sumpta adæquatione, non positiue sed negatiue, certum apud omnes est, haud posse corpus etiam diuinitus esse in duplici loco adæquato: eodemque intellectu seruata proportionem verum est, haud posse eundem effectum esse à duplici causa adæquata, efficienti, & extrinseca.

131 Adice in confirmationem responsionis nostræ replicam factam, estò difficilem, manifestæ tamen instantiæ esse obnoxiam; eaque aut nihil probari, aut certe quod lapides omnes acervi collectiue sumpti distinguantur ab illo realiter adæquate; contra quàm Aristoteles 8. Metaph. text. 15. & alibi sæpè, omnēque cum eo Doctores sentiunt: necnon relationem prædicamentalem distingui etiam realiter adæquate à fundamento, & termino collectiue sumptis, & vice versa: quod etiam est contra non paucos eorum, quibuscum disputamus. Sequela suadet: etenim distinctio inadæquata videtur respicere distinctionem realem adæquatam, cuius sit pars, & in qua contineatur: quiuis autem lapidum acervi distinguitur realiter inadæquate ab illo: ergo necessum est, aliquid assignare in acervo, quod sit ab illo realiter adæquate distinctum: at nullus lapidum seorsum sumptus ita distinguitur ab acervo: talem ergo ab eo distinctionem realem adæquatam fortiri debet tota lapidum collectio: quo tamen nihil absurdius, ut dictum est.

132 Eadem ratione confici potest, contra non paucos aduersariorum, distinctio realis adæquata relationis à collectione fundamenti, & termini, ut intuenti constabit. Quapropter, ne alterum alterumque sequatur inconueniens, dicendum est, uti de ratione distinctionis inadæquate singularum partium non vnitarum est, quod earum collectio sit realiter adæquate distincta à toto seu cumulo ex iis resultante, atque coalescente; sed potius id genus distinctionis inadæquate sine adæquata distinctione, in qua contineatur, inuenitur: ita similiter partes albi singulæ sumptæ causare poterunt illud inadæquate, quin

vel ipsæ ita acceptæ, vel earum collectio, aliūve quidpiam respectu illius sortiatur rationem cause intrinsece adæquate.

Dices postremo, contra nostram solutionem principalem argumentò quarto adhibitam. Nulla pars compositi accidentalis diuisione sumpta causatur ab alia eodem modo sumpta: at quod nulli parti compositi conuenit, haud potest composito à partibus indistincto conuenire, cum totum indistinctum à partibus hoc ipso cum illis consentire debeat in omnibus prædicatis: alioqui haud forent indistincta: totum ergo accidentale v.g. album vel est distinctum à suis partibus, vel certò ab iis etiam diuisione sumptis haud poterit causari. Maioris probatio sic habet: nam v.g. ab albedine nec causatur intrinsecè ipsa albedo, nec etiam paries, nec, ut multi putant, vnio, sed potius ab vnione, & in hærentia fortassis causatur è contrario albedo: ergo, &c.

Ac profectò hanc difficultatem luculenter positam video à Platone in Parmenide his verbis: *Totum ipsum vnum ex multis esse oportet, cuius partes sunt, quæ partes appetantur, qualibet enim partium, non multorum pars, sed totius existit. At quomodo istud? si quid multorum pars esse quibus ipsum inesset, & sui ipsius quodammodo esset pars, quod est impossibile, & aliorum cuiusque: siquidem omnium. Vnius enim non existens pars, vno excepto aliorum omnium erit, atque ita vniuscuiusque pars non erit. Non existens verò pars cuiusque, nullius ex multis erit. Et si nullius est, esse quicquam istorum omnium, quorum nullius vel pars, vel aliud quidquam est, impossibile erit. Apparet quidem. Non ergo multorum, nec omnium pars est, quacunque sit pars, sed vnius cuiusdam idee, & vnius cuiusdam, quod totum vocamus factum ex cunctis, vnum atque perfectum. Hætenus ille.*

Respondeo tamen iuxta dicta superius, quod nulli parti secundum se conuenit, id posse interdum toti composito, vtrū à partibus indistincto, conuenire: quemadmodum patet, ex eo quod nullum instans æternitatis sit impertransibile aliquando: & tamen omnia collectiue sunt impertransibilia; & eiusmodi, ut nunquam possit de iis dici, iam præterisse. Item nulla pars numeri est numerus: earum tamen collectio est numerus. Quamobrem, etsi nulla pars albi v.g. secundum se sumpta, intrinsecè causetur ab alia, totum tamen album potest, ac debet ab ea ita causari, idque licet in ea, & alia comparte, atque vtriusque vnione per identitatem consistat.

CAPVT XI.

Quid denique existimandum de distinctione reali totius Mathematici, siue integralis à suis partibus?

Eiusmodi etiam totum à collectione partium suarum realiter non distingui tuerentur omnes, qui totum substantiale physicum à suis partibus realiter indistinctum putant, & eorum quoque qui non putant, aliqui: præsertim verò Ferrariensis, Zimara, & Fonseca superius citati. Quibus subscribo. Primò: quia si totum integrale continuum distingueretur realiter adæquate à suis partibus, non posset non esse distinctū ab omni diuisibilitate; cum hæc nisi in partibus non reperiatur: esset ergo formaliter indiuisibile: hoc autem absurdum est: quis enim sibi persuadeat, vastum illud maris æquor per tot spatia diffusum,

diffusum, ac toti terrarum orbi circumfluum, formaliter tamen indiuisibile esse, aut cœlum, quod infinita quadam ambitione cuncta continet, atque complectitur, instar tamen puncti esse? Nec refert, si dicas his duobus exemplis non probari nisi indistinctionem realem totius integralis homogenei à suis partibus, secus verò heterogenei: quare hoc posterius censendum esse realiter distinctum à collectione partium suarum, non verò illud prius, ut existimat Ioannes de Neapoli quodlib. 2. q. 7. Namque hoc discriminis inter vtrumque totum integrale, de quibus proximè, commentitium est, & absque vilo adstruitur fundamento. An non etiam ita liceret, distinguere inter totum substantiale physicum vitale v. g. & non vitale, sed inanimatum; & illud à partibus distinctum realiter asserere, non hoc, aut vice versa: nec hoc solum, sed plura alia id genus in præsentī materia pro libito possent confingi.

137 Secundo probatur nostra, & verior opinio: quia ideo potissime partes totius physici, ac naturalis ab eo distinguuntur, & è diuerso, quia debent habere substantiam, per quam suppositentur, & quæ alia esse non potest, quam totalitas ex illis resultans: quare tam indubitatum esse debet, totum confectum ex partibus essentialibus corporis naturalis ab iis distinguui, quam certum est ex mysterio Eucharistiæ substantiam à natura, quam subsistere facit, realiter oportere distinguui. Atqui partes totius integralis v. g. materia: primæ, quatenus eius præcisè sunt, non subsistunt nec habent aliam subsistendi necessitatem, quam prout sunt in toto physico, & quatenus illud cum forma substantiali constituunt: eius enim necessitatis quod esse potest fundamentum? Non est ergo, cur præfatæ continui partes inter se vnitæ tertiam vllam entitatem, aut totalitatem pariānt. Confirmatur: quia Christus Dominus non est tertia vlla entitas, aut totalitas ex vnione humanitatis, & diuinæ personalitatis resultans, ut expresse docent Suarez citata disputat. 36. Metaphysic. sect. 3. numero 22. ad finem, Auerſa quæst. 19. Philosoph. section. 8. parum post medium, versu, *totum item*, necnon ceteri communiter scholastici. Non alia ratione, nisi quia ex partibus Christi Domini, personalitate scilicet Verbi, & humanitate non resultat alia personalitas, per quam subsistant, ut est fide sanctum. Similiter ergo in præsentī, &c.

138 Obiicies tamen Aristotelem 7. Metaph. text. 60. ibi: *Syllaba vero non est ipsa elementa, nec idem quod B. & A, sed aliquid aliud.* Et 5. Metaphysic. text. 19. ibi: *Numerus sex, non est qui bis ter, vel ter bis, sed qui semel sex.* Tum sic: syllaba, Ba, est totum integrale, fin permanens, saltem successuum: distinguitur autem ab A. & B. ergo, &c. Deinde numerus totum quoddam integrale discretum est: at numerus sex non est bister, sed potius distinguitur à duplici numero ternario, ex quibus veluti partibus conflatur. Respondeo, Philosophum per A. & B. intelligere elementa, & per syllabam Ba corpus naturale completum, ex elementis virtualiter sumptis, siue ex materia, & forma, virtutes, atque qualitates elementorum participantem coalescens, ut interpretatur Fonseca vbi supra: quamobrem eo loco innui distinctionem realem, non totius integralis, sed physici, & naturalis à suis partibus. Præterea, cum dicitur ab Aristotele, bisteria non esse formaliter sex, hoc magis allegoricè, quam litteraliter est accipiendum, ut proximè dictum est in simili.

R. P. Richardi Lyncei, *Philosophia Tom. II.*

Obiicies secundo: linea bipalmaris v. g. est omnino similis alteri itidem bipalmari, & vnus cum ea speciei, si sint ambæ ex eadem materia: alterutra ergo distinguitur realiter adæquare à suis partibus simul sumptis, & vnitis: alioqui si has, harumque, quod consequens est, vniones per identitatem includeret, sanè, quæ est, in vnionibus vtriusque, diuersitas specifica, eadem resplenderet quadantenus in vtraque. Profectò aut hic discursus valet, aut nihil valere videtur is, quem nos supra cap. 2. confecimus, pro distinctione reali totius physici, & naturalis à suis partibus.

140 Respondeo, lineam bipalmarem duplicem esse: aliam formaliter indiuisibilem, nec nisi virtualiter extensam, & diuiduam: aliam verò, extensione, & diuisibilitate formali partium præditam: prior solum reperiri potest in alio rerum ordine; posterior de facto existit, & est propria huius ordinis, ac seriei rerum. Duæ ergo lineæ bipalmares prioris ordinis specificè conueniunt, suntque omnino, & adæquate similes; nec mirum, cum nullas partes, aut partium vniones, vi quarum distinguantur, inuoluant. Sin autem sint posterioris, præsentisque rerum ordinis, certè ex conceptibus suis particularibus, haud possunt esse eiusdem omnino speciei, vel adæquate similes, quæ est diuersitas vnionum, ex quibus identicè coalescunt; sed tales esse possunt, penes rationem communem lineæ bipalmaris abstrahentem à diuisibili, & indiuisibili: hæc enim in vtraque linea de facto existenti est omnino eadem, & nullam exprimit dissimilitudinem.

Atque hoc pacto intelligendum est, quod dixi 141 supra, vnā albedinem intensam, aut extensam in abstracto sumptam esse de facto omnino similem alteri: si enim alterutra sumatur, penes conceptus particulares albedinis vtrique proprios, profectò non poterunt non aliquatenus differre specie propter vnionum, quas inuoluant, diuersitatem specificam. Nec verò hac ratione saluari potest, hominem, aut humanitatem de facto existentem esse alteri humanitati hominive omnino similem, esto nec homo, nec humanitas distinguantur realiter à suis partibus, partiumque vnionibus: nam aduersarij nostri tuerentur, hominem, humanitatemque nec in hac, nec in alia vlla rerum serie possibili, distinguui realiter à collectione partium suarum inuicem vnitarum. Hominum ergo de facto existentium similitudo omnimoda, & nullam explicans vel minimam dissimilitudinem, haud potest esse in ratione hominis secundum huius rationem communem abstrahentem ab homine huius seriei, & alterius cuiusque possibilis. Proinde, ut talis similitudo defendi possit, ad distinctionem realem hominis, & cuiusvis totius realis à suis partibus recurrendum est.

142 Hactenus solutio obiectionis secundæ. Ad quam aliter & melius dici potest, lineam bipalmarem, & quæcumque aliam sumi posse, & solum pro extensione radicali, & in actu primo, magisque respiciente vniones specie diuersas, quam illas includente: ac proinde vram esse posse vnus speciei omnino cum alia: supra namque cap. 3. ad finem ostensum est, respectum essentialem ad vniones specie tantum logica diuersas haud arguere diuersitatem specificam: & alioqui nihil non futurum diuersæ speciei à quouis alio. Atque hac ratione, quod supposui, vnā albedinem esse eiusdem omnino speciei cum alia, eique prorsus similem.

G

verum

verum esse potest, sumpta vtraque albedine penes vtriusque conceptum etiam particularem: nimirum, quia alterutra ita sumi potest, ut nihil aliud, quam partes albedinis potentes petentesque inter se & cum subiecto vniri, non verò tales partes, prout formaliter, & in actu secundo vnite.

143 Obiicies tertio. Partes totius integralis illud constituunt: nihil autem potest à seipso constitui, aut intrinsecè causari: ergo, &c. Verum huic obiectioni factum est satis cap. præcedenti in simili, cum sermo esset de indistinctione totius accidentalis à partibus, per quas constituitur, & intrinsecè causatur. Obiicies denique quartò: si continuum v. g. materia prima non distingueretur à suis partibus, esset vnum per accidens, ad modum quo totum physicum naturalis ordinis, exempli gratia homo, iuxta nos haud posset non esse totum per accidens, si consisteret in collectione suarum partium. At repugnat materiam primam, aut aliud continuum esse vnum per accidens; tale namque si esset, quomodò esse posset de primo, & quidditatiuo conceptu totius per se v. g. hominis: ergo, &c. Sed huic argumento fiet satis lib. sequenti tract. & cap. 1. ibique ostendetur continuum esse ens vnumque per accidens, & nihilominus primariò constituere posse simul cum forma vnum substantiale, & per se.

TRACTATVS X.

De natura, & subsistentia corporis naturalis, & partium illud essentialiter componentium.

CAPVT PRIMVM.

Quid sit natura essentialiter componens, ac denominans corpus naturale?



1 NTEAQVAM naturam compositi substantialis, & per se ab Aristotele definitam explicem, operæpretium erit, varias naturæ latius fuscæ acceptiones præmittere. Inprimis ergò natura pro Deo rerum omnium opifice, modòque pro rebus à Deo factis vsurpari solet: qua ratione natura diuiditur à philosophis, in naturam creatricem, & creatam, siue in naturam naturantem, & naturatam. Secundò natura accipi consuevit, pro essentia, & quidditate rei: cum hoc tamen discrimine, quod natura in ordine ad operationem explicite sumatur, & essentia in ordine ad existentiam, per quam possit existere, ac quidditas in respectu, & ordine ad definitionem, quares aliqua explicetur.

2 Tertiò natura sumi adsolet pro exigentia, & propensione causarum naturalium: quo pacto, natura dicitur nihil frustra moliri, odisse superfluum, malum per se non intendere, &c. Quartò Theologicè vsurpari potest natura, & iuxta non paucos perinde est, atque collectio rerum omnium existentium, & possibilem, nullam habentium cum gratia iustificante, aut visione beatifica connexionem, physicam, aut intentionalem, mediatam, aut immediatam, antecedentem, aut consequentem: & hac ratione dici debet ens naturale, quod præfata connexionem caret, supernaturale verò quod illam for-

titur. Quintò tandem natura accipi consuevit; pro principio intrinsecò, & constitutio substantiæ materialis completæ: & hoc postremo sensu substantia materialis completa ens naturale appellatur, contrà verò substantia immaterialis completa, cuiusmodi est Deus, & Angelus, nomine entis transnaturalis vocatur: necnon etiam facultas, quæ de priore substantia differit, physica seu scientia naturalis, & quæ de posteriore, metaphysica, siue scientia transnaturalis nuncupantur. Vide Fonsicam, Peireiram, & Conimbricenses de his eruditè, & copiosè differentes.

3 Aristoteles igitur lib. 2. physic. cap. 1. naturam, secundum eius vltimam, & huius instituti propriam acceptionem, ita definit: *Est principium, & causa motus & quietis, eius in quo est primo, & per se, & non per accidens.* Principium est, vnde aliquid est quouis modo: qua ratione aurora principium dici solet. Causa verò est, vnde aliquid est, cum dependentia, qua causa esse in illud per se influat: qua ratione sol lucis non solum principium, verumetiam causa est. Principium autem, & causa bifariam accipi possunt; nimirum pro principio causæque actiuis, aut pro principio causæque passiuis: & vtroque modo in definitione naturæ principium, & causa sumuntur. Quod suadeo.

4 Primò: quia non est potior ratio, cur principium actiuum magis, quam passiuum, aut è conuerso, natura sit: vtrumque ergò natura erit, ac proinde vtrumque in definitione naturæ ex æquo clauditur. Tum etiam principium actiuum motus est forma, & passiuum materia: at tam materia, quam forma est natura: ergo principium tam actiuum quam passiuum est natura, atque aded vtrumque in definitione naturæ comprehenditur, & neutrum excluditur. Minor est expressa Aristotelis lib. 2. physic. c. 1. text. 10. ibi: *Vno igitur modo natura sic dicitur, prima, quæ cuique subiecta est, materia rerum earum, quæ mutationis, motionisque principium in se habent: alio autem modo forma, & species ea, quæ ut ratio dicitur.* Et c. 2. text. 21. ibi: *Cum autem natura bifariam dicatur, tum forma, tum materia, sic contemplari hæc debemus, &c.* Aristoteli consentit B. Thomas tertia parte q. 2. art. 1. ibi: *Uterius deriuatum est nomen natura ad significandum quodlibet principium intrinsecum motus, secundum quod dicit Philosophus 2. physic. quod natura est principium motus in eo, in quo est per se, & non secundum accidens: hoc autem principium, vel forma est, vel materia: vnde quandoque natura dicitur forma, quandoque materia.* In eadem sententia est Damasc. lib. 3. de fide orthodox. c. 3. ibi: *Sed quia plurima hominum persona sunt, omnes autem eandem naturæ rationem recipiunt, (omnes quippe ex anima, & corpore constant, & natura omnes anime participes sunt, ac corporis essentiam, communemque speciem habent) id circò plurimarum, ac diuersarum personarum vnā naturam dicimus; quod singula persona duplicem naturam habeant, & in duabus naturis, hoc est anima, & corpore, censeantur.* Hæc ille. Nostram etiam opinionem de indifferentia naturæ ad materiam, & formam tuentur Lorca 1. 2. f. 2. disp. 3. Suar. disp. 1. 5. met. f. 1. Hurtado, Rubius, Conimbricenses, & plurimi alij.

5 Enim verò Scot. in 2. dist. 18. q. vnic. censet, materiā, seu principium passiuum solum esse naturam: quia solum principium intrinsecum motus est natura, ut constat ex iis verbis definitionis naturæ; *Motus, eius, in quo est primo, & per se, & non per accidens:* aut principium intrinsecum motus est eius principium passiuum. Secundò: quia in tantum aliquis motus est

natu